LIOTECA NAZ.
XVIII
B
14
NAPOLI

B-14

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XVIII
B
14
NAPOLI

XVIII ~~B~~ 62
B
14

ADVERSVS

GEORGII BVCHANANI DIALOGVM, DE IVRE REGNI APVD SCOTOS, PRO REGIBVS APOLOGIA,

qua regij nominis amplitudo, & imperij maieſtas ab hæreticorum famoſis libellis, & perduellium iniuria vindicatur.

Per Adamum Blacuodæum Pictauenſis curiæ conſiliarium regium.

Hac ſecunda editione per auctorem recognita, multis partibus aucta & emendata.

Acceſſit & index rerum copioſus.



PARISIIS,
Apud Arnoldum SITTART, ſub ſcuto Colonienſi monte Diui Hilarij.
1588.
Cum priuilegio Regis.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR lettres patentes du Roy noſtre ſire, données à ſainct Maur des foſſez, le 7. de Iuillet 1581. ſigné Forget, & ſeellees du grand ſeau de cire iaune, il eſt permis à Maiſtre Adam Blacuod Conſeiller dudit Seigneur en la Cour ordinaire, & Preſidialle de Poictou, de faire imprimer vn liure intitulé, *Aduerſus Georgij Buchanani dialogum, de iure regni apud Scotos, pro regibus Apologia.* Et defendons à tous Imprimeurs & Libraires, d'imprimer, vendre, debiter ſans la permiſsion dudit Blacuod, pendant le temps & terme de dix ans, à peine de confiſcation deſdits liures, & d'amende arbitraire & autres peines portees par leſdites lettres patentes.

Comparut en ſa perſonne ledit Maiſtre Blacuod Conſeiller de Poitiers, lequel a permis à Arnould Sittart Libraire Iuré en l'Vniuerſité de Paris, d'imprimer ou faire Imprimer, par tel Imprimeur que bon luy ſemblera, ladite *Apologia contra Buchananum*, & ce ſuiuant le priuilege à luy donné. Promettant & obligeant, &c. Fait & paſſé à Paris, le douzieſme de Feurier 1588.

Perier.

A. Blacuod,

Le Normant.

D.
MARIÆ SCOTIÆ
REGINÆ, EIVSQVE FILIO
IACOBO, ID NOMINIS SEXTO
Adamus Blacuodæus Fœliciter agere.

DEMETRIVS *Phaleræus Ptolemæum regem hortabatur, vt libros de regno ſcriptos ſtudioſè perquireret, quorum lectione diſceret ea, de quibus amici reges admonere non auderent. Rectè quidem ille regalis fortunæ miſeriam indicabat, infra omnium mortalium conditionem poſitæ, niſi fideliũ amicorum inopiam librorum copia conſolaretur. At verò ſi Demetrij temporibus quidquam huiuſmodi ſcripti fuiſſet, quod hoſtiliter ac tyrannicè in vitam fortunáſq; regum inſultaret, non quod afflatu rerum ſecundo ferocientes animos, & oblitos humanæ conditionis, intra gyrum rationis & doctrinæ cõtineret quod mentes bene ſanas exulcēraret, non leniret ægras, id neutiquam, meo iudicio, regibus*

legendum eſſe conſuluiſſet. Quanto minus, ſi nunc inter mortales ageret, huius tempeſtatis effrænem laudaret in ſcribendo licentiam, ad ſtatus publici ruinam, non ad emendandos imperantium mores, ad abolenda regna, nō ad reformanda graſſantem? Nihil enim quidquam id genus ab amico animo profectum videri poteſt, nec huiuſmodi librorum quantumuis magna facultas principibus viris amicorum ſarciet penuriam. Et tamen hoc delirio mundi ſeneſcentis, & miſerrima rerum omnium confuſione, vix alia de regno ſcripta publicantur, quam libelli famoſi, quam rebellionis & perfidiæ ſeminaria, quam tragicæ, non dicam hiſtoriæ, ſed fabulæ, quibus ſacroſancta regum maieſtas impiè per populariū ora traducatur. Illa principes auerſantur, etiamſi nonnulla rectè conſulant: vulgus auidiſſimè legit, etiamſi calumniarum ac mendaciorum plena ſint, & quod miſerrimum eſt, pro veris accipit ea mendacia quæ nemo refutat. Quæ me res in hanc arenam prouocauit, vt talentum eruditionis & doctrinæ, quantulum illud eſt, quod benignitati numinis acceptum habeo, patriæ promendum eſſe putarem, in cuius necem principibus illatæ redundant iniuriæ. Cum enim anno ſuperiore, paulò poſt reditum ex Anglia meum, incidiſſem in id dialogi, quòd de regno Georgius Buchananus edidit, quo veſtrûm alteram regni legibus in ordinem coactam, & auito patrimonio

ſpoliatam eſſe pronunciat, alterum ita populi tyrannide mancipatum & cõſtrictum haberi iubet, vt ſine multitudinis arbitratu & imperio digitum exerere, vt commouere ſeſe non queat, exacui memet, atque excitaui illam diuinæ particulam auræ, vt quantum hac tenuitate mea fieri præſtaríque poſſet, offenſam in principe patriam vlciſcerer, & ſummam iniuriam eſſe docerem, quod ille regni ius appellare non erubeſcit. Nihil dicam de genio viri, in quem extant amoris veſtri ſingularia monumenta, quem veſtra maieſtas opinione doctrinæ tot honoribus dignum eſſe iudicauit, hoc tantum queror, hominem artis poëticæ fama nobilem in principum contumeliam abuſum ingenij facultate, quam ad eorum laudes natura comparatam eſſe nõ ignorat. Quod niſi præiudicata religionis opinione tueatur, nihil eſt quo maieſtatis crimẽ excuſet, qui nefariis hominibus ad imperij ſummam graſſantibus in hoc ciuium diuortio ſemper adhæſerit. Quorum improba conſilia præuidere tibi, Regina, facile fuit ea mentis & ingenij dexteritate, qua mortalium nemini ceſſeris. At verò conſiliorum euentum fallere non erat in tua manu ſitum, niſi vel Chriſtianæ pietati nuncium omnino remittere, vel eam, quam ſemper inuicto animo profeſſa es, religionem diſsimulanter & obſcurè præ te ferre voluiſſes. Quo ſi digni principe ſpiritus demiſiſſent ſeſe, haud ſcio an dicam regno frui, at certè cauſam

turbarum omnium, & inuadẽdi regni prætextum elidere potuiſſes. Nunc verò quoniam ita numini viſum eſt hæroicæ virtutis ac regalis animi tui periculum facere, quam mortalibus in tam illuſtri loco poſitam exemplo ſpectandam præbet, vt temporum diſcant iniquitati reſiſtere, ſingulari ſapientia vitam inſtituis, quæ fortunæ mandaſti laqueũ, & virtute temet inuoluis tua, nec vlla re vehementius animo commoueris, quæ noſtri non eſt arbitrij ſed imperio ſortis obnoxia. Quanquam enim res omnes rationéſq; tuæ latrocinio populari conturbatæ ſunt, eam tamen in omni genere pietatis, & in omni vitæ ratione conſtantiam ſequeris, quam tenere poſſes,

Si te fata tuis paterentur ducere vitam
Auſpiciis, & ſponte tua componere curas.

Quo fit, vt perduelles ipſi, cum inter ſe quid ſeriò conferunt, virtuti laudique tuæ, vel inuitis erumpente veritate, ſuffragentur. Et tamen ita prauis opinionibus maleficiorum aſſuetudine callum obduxerunt, vt te Iunonium puerum, & verè partum matris aureum, indignentur cum Oreſte maniis furiiſque non agitari. Nam eò ſpectabat officij ſimulatio, eò vergebant propenſa nefariorum hominum ſtudia, qui vt ſub nomine publicæ maieſtatis matrem opprimerent, id cuius ipſi nullum ius habebant infantulo ſceptrum adiudicarunt. Tu verò caue ne quam hîc iis gratiam deberi, neu ma-

matris hoſtes tuos amicos putes. Nam

„ Illa tibi rerum commendat habenas,
„ Et merito ſacros ornat diademate crines.

Hi verò qui patrem incendio, matrem exilio, proximum quemq; vel gladio, vel veneno ſuſtulerūt, quid de te, quid de regno ſtatuiſſent, ſi fortuna conſilium adiuuiſſet, hac ætate certè nō potes ignorare. Vt enim cætera præteream, quæ te ſcelerata eorū conſilia latêre non ſinunt, vixdum nati crepundia ſiniſtris vulgo rumoribus perfidè, ne dicam crudeliter ac barbarè, traducebant: ſacrorum librorum oraculis abuſi mulierū abrogata volebāt imperia, quò tranſlatis in alienam gentem atque familiam regiæ dominationis inſignibus, te matri, te regni legitimum hæredem auito patrimonio fraudarent. Quæ tu ſapienter hucuſq; diſsimulaſti, ne præcipitata ſcelerū vindicta feneſtrā maioribus aperiret. Nunc verò quoniā numinis benignitate ſingulari perduellium iugo ſolutus es ac tui compos euaſiſti, tempus eſt, vt indolem prodas tuam, & aduerſus vim atque tyrannidem virtuti patrocinêre, vt diſperſos colligas hinc inde bonos ciues,

Relliquias Danaum, atq; immitis Achilli:

Malos verò & impios tot coniurationum architectos, prædones imperij, principum paricidas, pauperculæ plebis improbas hirūdines, inceſtos, ſacrilegos, flagitiis ac ſceleribus infames, qui diuinis humaniſq; legibus conculcatis, te nondum natum,

vt imperij faſcibus ad libidinem ſuam abuterentur, vnà cum patre, cum matre tollendum curauerant, horrendi carminis lege perſequare. Superos habes læſæ maieſtatis vindices, qui aduerſus hoc genus hominum impias machinationes & inſidias tibi ſuppetias ibunt, conſilia ſuggerent. ſingularem indolem, iudicium acerrimum, laudis & virtutis auidiſsimum ingenium ad fœlices exitus popularium fide & obſequio promouebunt.

Paruus erat, manibúſque ſuis Tirynthius angues
Preſſit, & in cunis iam Ioue dignus erat.

Macte igitur virtute, pietatem & iuſtitiam cole, patrias, auitáſque laudes amplectere, nec patitor eas artes obſoleſcere, quibus imperij ſtatum maiores tui continuerunt. Vixerunt illi quidem auitæ Religionis obſeruantiſsimi, profanos homines, & publicæ pacis & otij perturbatores, hæreticos, hypocritas, & nouorum dogmatum artifices, quorum ſtudia non aliò pertinebant, quam ad diſtrahendos à principe bonorum ciuium animos, exilio, carcere, vinculis aut morte multarunt. Quarum rerum documenta libri de regno ſcripti ſuppeditant. At verò nihil huiuſmodi Buchanani dialogus inculcabit, qui ſub auo tuo ſolum vertit, nouarum (vt puer audiui) rerum iudicio damnatus. Reuerſum pòſt longo tempore filia perquam liberaliter excepit, ſed offenſum animum placare, & inueteratum

odiũ abolêre certè non potuit. Qua ex re facillimũ fuerit augurari, quo ſtudio ad ſcribendum acceſſerit, an vt in amicorum inopia tibi rectè conſuleret, an potius vt animo ſatisfaceret ſuo, & veteres iniurias vlciſceretur. Sed ne parum cautis hominibus imponat, & popularium à regibus alienet ſtudia (quanquam non parum doleo, mihi cum illo viro contentionem eſſe, quem antea propter egregias animi dotes ſemper plurimi feci) librum hunc offerendum tibi cenſui maieſtatis regiæ vindicem, qui te fortunæ moneat, populũ in officio retineat, matris ſolitudinem conſoletur. Eum ſi gratum vobis eſſe cognouero, faciam, numine conſilium adiuuante, vt intelligatis verum eſſe verbum, quod adſcribit Euripidi Cicero,

multos ſuam
Rem bene geſſiſſe, & publicam, patria
procul.

Satis enim ſupereſt argumenti, quo bonis viris, & de religione réque publica rectè ſentientibus, non animos, ſed tempora defuiſſe, malos verò, & impietatis perfidiǽque damnatos ſi minus ad Dei cultum, ad principis obſequium ſe reduci patiantur, aduerſus ſana conſilia ſiniſtris opinionibus obduruiſſe, ſatis ſupérque teſtatum poſteritati relinquamus. faxit Deus quam diutiſsime viuatis, valeatis. Datum Pictauis 4. calend. Nouemb. 1580.

Εἰς Βουχανανόν.

Βουχανανὸς μὲν ἀοιδὸς ἀοιδότατος πρὶν ἁπάντων,
Μέφ᾽ ὅτι τὴν σφετέρην ἤσκει ἀοιδοσύνην.
Νῦν δὲ νόμων ἱερῶν τε καὶ ἀγνὼς ὢν ἀγοραίων
Ὣς θάρσησεν ὅμως ἀμφὶ νομογραφίην.
Εὔνομος ὁ πρὶν ἐὼν ἀνόμων ἀνομώτατος εὐθὺς
Ἐξεφάνη, βασιλεῖς ἀνομησαμένους.
Οὓς καὶ διογενεῖς καὶ διοτρεφέας πέρ᾽ Ὁμήρου
φάντος, φᾶν αὐτοὺς τλῆσι βροτογενεῖς.

Ἰωάννης Αὔρατος ποιητὴς βασιλικός.

LVDOVICVS SÆMMARTHÆNVS
Iuris vtriuſque Doctor, & in Pictauenſi prouincia Regis Aduocatus, in Apologiam Adami Blacuoddæi.

Noſtra licet meritos tibi Gallia mandet honores,
Qua leuis in gyrum Clanidos vnda fluit,
Te blando patriæ pietas deuincit amore,
Natalíſque ſoli publica cura iuuat.
Qui regni contra prædones ſcepta tueris,
Præſentémque abſens trans mare reddis opem.
Congreſſus noſtræ Buchanano ætatis Homero
Inclyta diffuſæ præmia laudis habet.
Communis patria, & facundi Heliconis amores,
Propoſitíque facit finis vtrumque parem.
Ille tyrannorum exlegúm & ratione carentum,
Excutit è manibus ſceptra cruenta feris.
At caueat ne regna ruant, dum ſceptra fatiſcunt,
Regnum cum ſceptro ſtátque cadítque ſuo.
Tu quoque ab immani diſiuncta tyrannide regna
Laudas, & ſcriptis aſtruis illa tuis.
At nec adularis laudatis regibus: ipſe
Laudandus regum nil ſine lege probas.
Sic illinc ſæuis infamia dira tyrannis,
Hinc iuſto regi gloria iuſta datur.
At conſpectius hoc (mi Blacuodæe) per orbem,
Regnóque vtilius forte retexis opus.
Quicquid erit, multum certè tibi regia debet
Maieſtas, cui tu debita iura refers.

AD GEORGIVM BVCHANANVM AVCTOR Apologiæ.

Si tu Mæonij premeres veſtigia cycni,
Si tu Thebanæ plectra ſonora lyræ,
Si tu Veroni feſtiua poëmata vatis
Tractares, thyrſo liberiore iocans.
Quis genio Buchanane tuo certare valeret,
Si Phæbo dignos perſequerere modos?
Nunc tibi Mercurius ridet, qui legibus orbem
Turbas, & Nomij deſeris antra Dei.
Exhilarat Iouis ille dapes, & carmine diuos
Mulcet, Terrigenûm prælia dira canens.
At tu terrigenis pugnas, cælúmque laceßis,
Et ſceptrum eripiunt impia plectra Ioui.
Mutato liquit genio te Phœbus, & ille,
Quem ſequeris, refugit te quoque Mercurius.
Mercurius Phœbúſque Iouis ſunt pignora, patrem
Titanas contra iuuit vterque ſuum.
Sceptráque firmarunt vni, quæ turba rebellis
Multorum voluit ſeditione regi.
Tu turbam regnare iubes, & legibus ima
Exæquans ſummis, ſceptra ligone domas.
Vixiſti certa quondam ſub Apolline lege,
Nunc ſub Mercurio lege ſolutus agis.

ADVERSVS
GEORGII BVCHANANI DIALOGVM, DE IVRE REGNI, apud Scotos.

CAPVT I.

QVOD Superioribus annis futurum augurabar, vt Caluinianæ ſcholę decreta religionum finibus ſe minimè continerent, ſed vlterius progreſſa noui quidpiã in rerum adminiſtratione molirentur, id vtinam hodie res ipſa non argueret, ſtatúſque publici fœlicitas mendacio prædictum id à nobis, & calumniandi ſtudio ſcriptis noſtris [1] publicatum eſſe loqueretur. Quamquam enim procul natali ſolo, fruor hic eorum conſuetudine, quorum moribus & religione delector, non tamen ita ſum animo à patriæ commo-

1 lib.2.de coniunct. relig. & imp.

dis alieno, vt ea vel mendacij nota ſtipulari dubitem, vel legis Memmię pœna redimere. Sed quod equidem hortante muſa vaticinatus ſum, id plærique omnes vel mediocriter humanarum rerum periti, animo præſagiebant. Multorum enim annorum vſu, & longinqui temporis periclitatione didicimus, eos qui Chriſtianæ pietati nuncium remiſerunt, leuiſſima occaſione regibus oppedere ſolitos, & tot in politica dominatione factiones excitare, quot in religione ſectas inſtituerunt. Nam quod ſcripſit ad Theodoſium Romanus ille pontifex,[a] priuatæ cauſæ pietatis aguntur obtentu, & cupiditatum quiſque ſuarum religionem veluti pediſſequam habet. Iſtarum mutationum initio nihil videbatur hoc hominũ genere ſimplicius. Nihil præter euangelij puritatem vulgo iactare: nihil præter eccleſiaſticæ diſciplinæ, & morum emendationem præ ſe ferre: nihil odiſſe præter epiſcoporum ſordeis & auaritiam: nihil arguere præter ſacerdotum flagitia: aliud denique nihil niſi conſcientię libertatem affectare. Sed quæ, pro Deum, conſcientiæ libertas, quæ in effrænem progreſſa licentiam, diuinis humaniſq; legibus abrogatis, ſacrorum librorum auctoritate impudenter in ec-

[a] Leo, pap. Epiſt. 23.

cleſiæ necem abuſa, non auaritiam, non flagitia ſacerdotum, ſed ſacerdotes ipſos impiè ſuſtulit? Aiunt Gnathonem quendam Siculum, & Philoxenum Eryxidis filium, ventris & gulæ mancipia, quò cæteris conuiuis nauſeam facerent, & ſoli omnia fercula vorarẽt, narium mucum ſolitos in catinis emũgere.[3] Sic iſti grauiter in Eccleſię facultates inuehebantur, quibus omniũ maximè inhiabant: in ſacerdotum auaritiam & flagitia ſpuebãt, vt ſoli templorum auro potirentur, vt liberè ſacra veneri facerent, & impunè voluptatib⁹ ingurgitarent ſeſe, inceſtámq; libidinem explerent. Eò certè ſpectabat animorum acerbitas illa, qua in cœlibatus & cõtinentiæ vota debacchabãtur, ij pręſertim quos ſacerdotalis, & monaſticæ diſciplinæ faſtidiũ inceſſerat. Nam cùm arderent æſtu libidinum, & iureiurando ac diris imprecationibus cœlibi ſe vitæ deuouiſſent, quærendus erat cuneus quo nodum illum ſoluerent, & ſpecies aliqua periurio, quo cœlibatus & continentiæ iugũ excuterẽt. Hinc illę lacrimę, homines inuita Minerua venereis voluptatib⁹ arceri: fœminarũ interdici cõmercio atq; adeo cõſpectu, reclamãte naturæ fragilitate: nuptiarũ libertate ſublata diuini iuris auctoritatẽ abrogari.

[3] Plutarch. in libr. περὶ τοῦ λαθ-βιως.

Quid igitur? Omnibus licere coniugia: furta, ſtupra, flagitia nemini. Egregij veteratores præclara ſpecie & prætextu Æſopicam animo vulpem agitabāt, quæ cùm abſciſſæ caudæ pudore laboraret, in aliarum vulpium caudas inuehebatur, eas vt præciderent hortata, quò ſuum dedecus communi turpitudine velaret. Sed hi vulpe callidiores effecerũt quod intenderant: nuptiarum licentiam hominibus ſui ſimilibus facili negotio perſuaſerunt, ſed vtinam iis contenti aliò non diuerterent.

,, *Hoc fonte deriuata clades*
,, *in patriam populúmque fluxit.*
,, *fœcunda culpæ ſæcula nuptias*
4 Horat. libro, 3. carm. ,, *primùm inquinauere, & genus, & domos.* [4]

Vidimus enim apoſtatæ ſexagenario, infimæ conditionis homuncioni, quem vnius vxoris virum eſſe oportuit, ſecundis nuptiis illuſtris familiæ virginem elocari. Adduci vix poſſum, vt credam ſuſceptos ab eo liberos, cui iam non feſta nuptialia paranda, ſed conficiendum erat vetere more ſilicernium. Niſi enim vxoris indoles, & inſitus generi pudor aliud perſuaderet, eorum certè quos illius eſſe nuptiæ demonſtrant, gratiam vel bonis vicinis, vel iuniori miniſtrorum alicui, haben-

dam eſſe putarem. Quos enim liberos tollere potuiſſet infamis apoſtata, niſi vel hermaphroditos effuſa venere, vel raſo in gyrum capite ſphingas, ægypanas, aut minotauros? Qui effœtus anteactæ vitæ luxu, & impar tollendæ ſoboli, cæteris auctor fuit, vt remiſſis continentiæ habenis, & ſoluta religione ſacramenti, ex Epicuri decretis è natura viuerent, vxores ſibi adiungerent, liberis operam darent. Quę res hominibus ante id tempus monaſticæ vitæ paupertati aſſuefactis, & Deo, magis quàm genio, vacare ſolitis, pecunię ſtudium ingenerauit. Poſteaquã enim ex monachis in œconomos euaſere, nõ modò ſui, ſed & vxorũ, ſed & liberorũ, & familiæ cura ingẽtes animo ſtimulos addidit, vt quo iure, quáve iniuria diteſcere vellẽt. Neq; enim fas eſt, verbi miniſtrum (vt illi vocant) vulgari cibo vitam tolerare, eiúſve liberos, aut vxorem plebeio cultu prodire in publicum, qui præ cæteris in eccleſia debent eminere. Igitur eò templorum opes, eò ſacrum cenſum, eò patrimonium eccleſiæ conuerti volebant. Quæ rẹs effecit, vt opifices, agreſtéſque omnes, quorum res fidéſque in manibus ſitæ erant, relictis operibus frequentarent ſectariorum archipræſules, & ſua neceſſaria

poſt illorum iuſſa ducerent. Quiſquis autem ventre,manu,pene, bona patria diſſipauerat, quiſquis iudicio conuictus erat, aut pro ſcelere iudicia timebat:quiſquis vel ardore libidinis,vel ambitionis æſtu, vel vindictæ ſtudio flagrabat:omnes à furca redẽpti, ganeones,adulteri,inceſti,parricidę,ſacrilegi:quos denique flagitium, egeſtas, conſcius animus exagitabat,hi velut oblatam à diis occaſionẽ arripientes, vndiq; in hunc ludũ nomina daturi confluxêre. Atq; hanc perditorum hominum & rebellium colluuionem, congregationis vocabulo ſignatam, armis aduerſus legum pœnas, & veteris diſciplinæ ſeueritatem ita muniuerunt, vt impunè quiduis in quemuis & facere poſſent, & dicere: Neque verò tantùm hoc genus homines ſceleratos & improbos,verumetiam domeſtici cõpendij ſpe & opinione, plæroſq; minimè malos eò pellexêre.Nam præterquã quod decimarum & eccleſiaſticarum penſionum ſperabãt immunitatem,pellionibus, fabris, ſartorib⁹, latomis,ac viliſſimis quibuſque cerdonibus, vocatis,non vocatis, nihil minus quàm literarum,nedum ſacrarum rerum peritis, viam ad diuini verbi prædicationem,ad tractanda Chriſtianæ fidei myſteria, populóque mini-

ſtranda, patêre videbant, qua nulla compendioſior eſſe poſſet hominibus ad diuitias, ad honores, ad opes, ad potẽtiam graſſantibus. Sed abolita maiorum pietate, ſublatis eccleſiæ ceremoniis, expugnata Chriſtianorũ fide ac religione, fuſis, fugatiſque ſacerdotibus, minimam, ac vix minimam earum rerũ particulam aſſecuti ſunt, quas animo & opinione conceperant. Nam ex eo tẽpore perditis moribus, & relicta numinis reuerẽtia, cœpere nobilitas dignitatem in ſuperbiam, plebs libertatem in libidinem vertere, ſibi quiſque ducere, trahere, rapere, nihil penſi, nihil moderati, neq; ſancti habere. Quod igitur in tãta rerum perturbatione factu facillimũ erat, proceres, quia plus poterant, eccleſiaſticorũ prædiorum acceſſione patrimonium auxerunt ſuum, vix modico ſtipendio miniſteriis nuper inſtitutis, & præcipuis factionum auctoribus relicto, quantum tolerãdæ vitę ſatis eſſe queat. Nam vt quiſq; vel opibus, vel auctoritate, vel gratia plurimum potuit: ita maximam ſacri cẽſus & bonorum ſacerdotaliũ partem occupauit. Sed infinitis rerum documentis, & longinqui temporis periclitatione perceptum id vſq; à prudentiſſimis hominib⁹ eſſe videre mihi videor, vt quo magis ma-

giſque templorum exuuiis inſoleſcunt, quò plus earum rerum, quarum Chriſtianis interdictum eſt commercio, in Charybdin illam libidinis & auaritiæ ingurgitauerint, eo magis res rationéſque domeſticæ conturbentur, & ea quam maiorum meritis & virtute conſecuti ſunt debilitetur atque proſcindatur quodammodo potentia. Sed ad rem. Cũ tot ſacrilegiis parum ſatisfactum eſſet eorum hominum libidini, quibus ad habendum nihil ſatis eſſe potuiſſet, & cupiditatum ſuarum auctoribus vterentur iis, qui non minore in principem quàm in ſacerdotes ſtudio & cõtentione acerbitatis ſuæ virus effunderent, ad Regiæ gazæ direptionem animum appulerunt, vt peculatum, vt perduellionem ſacrilegio cumularent. quemadmodum igitur ſacerdotum auctoritatẽ, & eccleſiaſticos magiſtratus omnes abrogarunt, vt templorum auro, vt prædiis eccleſiæ potirentur: ita principem auito patrióque regno expulerũt, poteſtate omni & imperio abdicarunt, vt impunè ſacrum patrimonium diriperent, & ſublato maieſtatis regiæ metu fiſco manus iniicerent. Sed interea pauperculi miniſtelli receptis, & vulgo probatis doctrinæ ſuę decretis, quod votorum pręcipuum erat deſiderari

conqueruntur: Nihil eſſe pauperibus alendis reliqui: & principis, & eccleſiæ patrimoniū, tanquam priuati ciuis hęreditatem, erciſcunda familia paucorum arbitrio diuidi: fruſtrà ſe tot periculis obiectos, ſi rebus ita mutatis eſuriant: fruſtrà tot ſuſceptos in euangelio propagando labores, ſi proceres eccleſiæ facultates in ſuos vſus conuertant, & dicatis deo poſſeſſionibus in familiæ commodum abutantur: non eſſe conſentaneum, vt ſacris veſcantur profani, vt ſuis quæſita laboribus illi conſumant, vt denique partam ſuo periculo prædam interuertāt, qui nihil in ea captanda ſudauerint. Sed bellas admonitiones iſtas irridendas vulgò propinabāt. Pudorem rei ſuſtulit multitudo peccantium, & deſiit eſſe probri loco commune maledictū. Nam vbi palatum deguſtata ſemel lucri dulcedo febri malarum cupiditatum infectum habet, vanæ ſunt ſapientum voces, vana doctrinæ cœleſtis oracula: quotidie morbi vis ingraueſcit, magiſque remediis irritatur, quàm extinguitur.

„ *Syncerū eſt niſi vas quodcumque infundis aceſcit.*

Grauiter igitur, vt iam diximus, & iniquè ferunt iſtarum mutationum architecti, tamdiu captatam abs ſe prædam à potentioribus in-

tercipi, & ſuis veſci laboribus eos, qui per ignauiam & ſuperbiam ætatem agunt: ſe verò modeſtos ſcilicet homines & induſtrios inædia tabeſcere. Semel atque iterum perperam ceſſere conſilia, numine ſuas iniurias vlciſcente. Neque tamen eo magis conquieſcunt, ſed nouis quotidie machinationibus rem aggrediuntur, miro commento nobilitatis in ordinem cogendæ. Quod ſi proceſſerit, & ad optatos exitus prouehatur, non modò attollent humo ſeſe, nobilitatiſque vires eneruabunt, verumetiam in regem, caput totius & fontem nobilitatis, imperium obtinebunt. Neque enim contenti nouis legibus atque ceremoniis, ante multa ſæcula maiorum noſtrorum auctoritate ſententiáque damnatis, eccleſiæ faciem innouaſſe, nunc, quæ horum temporum licentia eſt, amiſſo pudore, nulla neque legum, neque magiſtratuum reuerentia, politicæ diſciplinæ noua dogmata ſpargunt in vulgus, quibus eodem iugo legitimos principes atterant, quo non ita pridem ſacerdotes oppreſſerũt. Regna ſucceſſione proximis agnatis minimè deferenda: populo ius eſſe creandi regis, abdicandi, puniendi, ſi deliquerit, & ſupremo abutatur imperio: neque id populo tan-

tum vniuerſo iuris eſſe, verum etiam ſingulis: marmoratíſque laudibus efferendum eum, qui priuatus regem impotenter ſe ac libidinoſè gerentem mactauerit: ſummam denique poteſtatem ac imperium in populo eſſe, non in rege. Quorſum verò iſta, ſi vulgo hoc genus blanditiis nugíſque delinito, legitimóque regum ſanguine ſuffuſo, ipſi regium non affectant imperium? Oculis animóque ad huc obuerſatur Iohannes Leidenſis, quem ſuæ farinæ hominem, ex fæce plebis ad regiæ dignitatis apicem, hoc genus inſtitutis publicandis euectum fuiſſe non ignorant. Quid enim mente non conciperet, quid non auderet is, cuius animo ſemel huius inſtituti atque ſectæ dogmata inſederint? Non eſſe liberum cuiquam mortalium arbitratum: omnia fatali neceſſitate ad certum exitum eſſe deſtinata: non eſſe bonarum & malarum actionum diſcrimen vllum, nèc in hominum meritis quidquam momenti ad æternæ ſalutis adeptionem: numinis voluntate ac imperio cogi nos ad turpia facinora, quorum pòſt vindictam & vltionem depoſceret: & quod Muhamedicæ religionis caput eſt, ac veluti, κυρία δόξα, ʼ ferro ignéque propugnandam eſſe

religionem, & aduerſus Chriſtianos principes ac magiſtratus, non candore morum, nō innocentia vitæ, non modeſtia ac demiſſione ſuî, ſed elatione, ſuperbia, temeritate, inſolentia, vi deniq; & armis aſtruendam, quæ multo æquius in Chriſtiani nominis hoſtes conuerterentur. Hæc ſunt incunabula, hæc elementa pietatis, quam iſti coniurationibus obtendunt ſuis, quę parum circunſpectis hominibus, & eorum fraudulenta conſilia minus accuratè perpendentibus, viſa fuiſſent exigua, ſi in iis conquieſcere potuiſſent.

6 Iuuenal. Sat.2. „ *Sed nemo repente fuit turpiſſimus.*[6]

Vt enim virtutes, ſic & vitia ſuis progreſſionibus vſu augentur, ac primum quodque flagitium gradus eſt ad proximum. Nam, vt

7 Senec. lib.1. de clem. ait ille,[7] *Nunquam vſque adeo temperatæ cupiditates ſunt, vt in eo quod contigit deſinant. Gradus à magnis ad maiora fit, & ſpes improbiſſimas complectuntur inſperata aſſecuti.* Itaque quod antea mirabar homines πολυτρόπους, & multa lectione peritos adeo in ciuili diſciplina turpiter hallucinari, vt ea quæ diximus ſcriptis libris dogmata vulgo proponant, quę ſine

8 L.2.& 3. c.de trim. Sacril. ſacrilegio cogitari,[8] nedum verbis aſſeri queant, nunc magis mirarer, ſi aliter ſentire poſſent, iis initiati ſacris, quæ in rerumpub.

necem, in humanæ ſocietatis interitũ, & naturæ ſubuerſionem excogitata periclitamur. Μεταβεβλημμένων γὰρ τῶν ἐν τοῖς ἀνθρώποις περὶ θεοὺς δοξῶν μεταβάλλειν δεῖ καὶ τοὺς νόμους. [9] Cũ enim publicum ius omne poſitum ſit in ſacris, ſacerdotibus, & magiſtratibus, [10] qui, quantum in ipſis fuit, ſacra profanarunt, qui ſacerdotum nomen abolendum curauerunt, ij qua tandem conditione magiſtratus ferent? Quod ſi cui minus oratio noſtra ſatisfacit, & teſtium fides vrgetur, vt vetera ſilentio laudemus, quæ illi perfidè calumniari ſolent, in medium prodeat horum temporum hiſtoria: ſuas Gallia, ſuas Germania, ſuas Britannia tragœdias recenſeat. Res ipſa loquatur quod illi malitioſè diſſimulant. Lutherus ſacris in Germania corruptis Carolo quinto bellum excitauit: eóque primùm tempore gens illa cõtra iuris clientelaris auctoramentum imperatori ſuo fidem & obſequium denegauit. Geneuenſes in vrbem introductis Pharello & Caluino, legitimis principibus portas occluſerunt. Scoti vno eodémque momento numinis & principis iugum excuſſerunt, nec iuſtum magiſtratum agnouerunt vllum, ex quo primum tempore ſacris & ſacerdotibus bellum indixerunt. Hodie puero caudas ia-

9 Plat. lib. 12. de leg.

10 L. 1. d. de iuſt. & iur.

ctant, eiuſque videri volunt amantiſſimi, quem nōdum natum vnà cum patre, cum matre perditum iuerant. Adulentur hodie quantum volent, ſuperiorum temporum nequitiam, & toties offenſæ maieſtatis crimina, quo poſſunt fuco, diſſimulent, innatum principis odium quocumque velint obtendant ſupparo, tamen vbi ſemel reipub. gubernaculo manum admouerit, ingenium prodent ſuum impij veteratores, ambitionis & auaritiæ ſtimulis ad rebellionem ſemper & perfidiam incitatum. Non iidem in Gallia ſacerdotum & regum hoſtes fuerunt? Quid in Belgio? Vnde tot illic turbæ? Vnde tot in principem coniurationes? Atque vt ab infinitate illa & multitudine recedentes, ſingulorum facta notemus, quis, niſi contemptor numinis, infami illa Francogallia regiæ maieſtatis auctoritatem conuellere niteretur? Quis ſalua religione vindiciarum contra tyrannos auctor eſſe potuiſſet? Quis æquo vel in ſacra, vel in ſacerdotes, vel in ſuperos animo famoſum illum dialogum edidiſſet, DE IVRE REGNI APVD SCOTOS? Quis putida illa declamatione Londini aduerſus principem debacchatus fuiſſet? Quis

denique tot quotidie mendaciis, tot libellis impudentiſſima fronte regum ſuorum, quis optimorum principum famam laceraſſet? Quis è noſtris vel in malos & impios principes vnquam inuectus eſt? Et iam miramur homines, quamuis eruditos, in imperij ratione deſipere, qui in cæteris quoque publici iuris partibus turpiſſimè delirant? Miramur ſi regibus obloquantur ij, qui ſacra, qui ſacerdotes flamma ferróque perſequuntur? An non quemadmodum ſacerdotes, ſic & reges cum inaugurantur, oleo, id eſt, diuina quadam virtute inunguntur? Nam oleum illud, quo reges olim, ſacerdotes & prophetæ perfundebantur, diuinitatis ſymbolum erat, ac veluti ſacramentum. Quoniam igitur numini bellum & religioni denunciatum eſt, eo reges implicari neceſſe eſt, diuinioris naturæ participes: nec politicam dominationem ferent vnquam, qui principatum eccleſiæ ſuſtulerunt. Sed quoniam hæc res definita nobis eſt libris duobus, quibus communi religionem & imperium vinculo teneri docuimus, ſacerdotes & ſacra miſſa faciamus iis qui ad theoſophian ſtudium omne contulerunt, & quoniam beneficio numinis aliquas in rerum

adminiſtratione partes obtinemus, & publico munere defungimur, cum illis hæc diſputatio nobis inſtituetur, qui vt præter vulgus hominum ſaperevideantur, in magiſtratuum ratione nouum quoddam politiæ genus introducunt, & tertiam iuris publici partem, non modo peruertere, verumetiam tollere penitus & abrogare conantur. Hotomanni francogallia ſatis ſupérque pœnarum dedit. Stephani Iunij Bruti vindicias contra tyrannos doctiſſimis popularium ingeniis flagellandas relinquemus, cum Buchanano noſtro manus conſerturi. Qui ſi poëticis ſe fabulis oblectare maluiſſet, quàm adminiſtrãdi regni legibus animum appellere, omnium ſuffragiis propriam ingenij doctrinęque laurum adipiſceretur. Nam, vel me tacente, viuent mellitiſſima poëmata, viuet omnium ſæculorum memoria pſalterium illud Muſis & Apolline digniſſimum. Atque vtinam illa potius imitari poſſemus, quam perperam ac temerè ſcripta reprehẽdere. Nunc verò eam mihi neceſſitatem impoſitam eſſe video, vt ſenis obſeruem deliria, cuius antea ſuſpicere virtutes, & ingenij vim admirari ſolebam. Sed natalis amor ſoli, ſed officium principi debitum in hoc me certamen prouocauit,

quod

quod equidem deprecari nulla ratione poſſum, nec ſine flagitio detrectare. Dabit igitur mihi veniam doctiſſimus ille vir, nec amicitiæ legem atque beneuolentiæ violatam eſſe conquereretur, à qua nihil longius abeſſe nouit, atque diſſimulationẽ & hypocriſin. Vetus enim illud verbum eſt, quod ex Publij, aut Laberij mimis iactari ſolet, AMICI VITIA SI FERAS, FACIES TVA. Vterque principi, vterque patriæ bene conſultum eſſe cupimus, ſed ita contrariis, ita pugnantibus eò rationibus aſpiramus, vt alterutrum non errare modò, non hallucinari, verumetiam maieſtatis reum eſſe oporteat. Quod ſi ille publicæ libertati, ſi commodis omnium velificatur (ne quid in tanti viri contumeliam aliorſum atque res eſt interpretemur) opinionum modo nobis erit, quod maximis in repub. viris vſuueniſſe legimus, non etiam animorum diſſenſio. Cum enim principis adoleſcentiæ præſit, eius ingentes animos, ac nihil niſi regium quiddam & ſublime ſpirantes, hoc libello, tanquam monitore domeſtico atque pædagogo intra gyrum rationis & doctrinæ retinendos eſſe putauit. Sed debuit hæc principis tantum auribus inſuſurrare, & animi penetralibus arcano ſilentio, tãquam Eleuſina ſacra, committere, non efferre do-

mo,non vulgare. Quod verò ſcriptis ea myſteria publicauerit,quorum vel cogitatio ſola capitis ſupplicio vindicatur, [11] nobis, qui iuris & æqui ſacerdotes eſſe debemus, qui quotidie legum vocibus obtundimur, quibus regni,quibus reipub. patrocinium incũbit, quanto ſceleri fuerit ad ea conniuere? Quod in aliis hominibus veniæ locum promerebitur,ſi forte principis iniuriam obſcurè ac tacitè præ ſe ferant,nos crimini reddit obnoxios, quibus ruſticitatis excuſationem & inſcitiæ prætexere non licet. Nam in hac rerum humanarum parte locati,vt his ſtudiis exculti, his artibus inſtructi eſſe debeamus, quibus imperij ratio continetur, facere non poſſumus,quin ſilentio noſtro læſæ maieſtati ſuffragemur. Bis peccat, inquit ille, qui peccanti obſequium accommodat.[12] Age ergo, prodeat libellus ille de regno, non quas meritus eſt, daturus pœnas,ſed quas ferunt amicitiæ leges,cuius idem finis eſſe debet,qui & honeſtatis.

11 L. quiſquis c. ad leg. Iul. maieſt.

12 Auguſt. ſerm. 6. de verbis domini.

CAPVT 2.

LYcurgus, Solon, Charondas, Zaleucus, atque id genus alij,quos vetus illa Græcia præ cæteris mortalibus ſapientiæ fama no-

bilitauit, non potuerunt ita propitiis vti numinibus, legum ſuarum auctoribus, vt vllam Reipublicæ formam inſtituerent, quæ iuſta reprehenſione caruerit. Princeps ingenij doctrinæque Plato, vt eum M. Tullius appellat, hominibus rerum humanarum peritis exagitandam rempub. ſuam, & deridendam propinauit.[1] Eius auditor Ariſtoteles, alter philoſophorum deus, cum in viros incidit ciuilis ſcientiæ gnaros, eo vultu, eo geſtu omniũ excipitur, vt penè philoſophi nomen amittat. Quæ cum ipſe non ignores, mi Buchanane, doctiſſimorum hominum ingeniis obſeruata, ſcriptis prodita, commendata poſteris ad cauendum, temeritatis me pudet tuæ, qui poëticæ facultatis (cuius laudem nemo tibi poteſt eripere) ſic abuſus es opinione, vt florentibus hucuſque veteribus inſtitutis patriam, nouis in diſcipuli necem legibus excogitatis euertere coneris. Neſcis quid de te vulgo iactetur? Admonet amicus: nihilo melius ceſſurũ filio quàm matri, quod in te magiſtrum inciderit: te tuæ conditionis oblitũ, Apolline relicto ſatis inconſtanter ad Mercurium tranſiiſſe: non recordatum eſſe verbi, quod Stratonic⁹ cytharœdus Ptolemæo regi dixerit, aliud eſſe ſceptrum, aliud plectrum.[2]

1. *Ioſeph.* lib. 2. aduerſ. Apion.

2. Athenæus lib. 8.

qui eodem iure ſceptrum quo plectrũ modereris, & ex bono poëta malus legiſlator euaſeris. Ac principio quidem temeraria voce, ne dicam impudente, principes in ordinẽ cogendos eſſe dicis, de quorum auctoritate crimen eſt ſacrilegio proximum diſputare [3]. At neſciebas adeo grauiter à te peccari cùm ad ſcribẽdum acceſſiſti. Itáne legiſlatoribus, vt poëtis, quidlibet audendum eſſe putas? Quidni? Nam ne nunc quidem admonitus ſacrilegij, quidquam in eo peccati ſentis. Quibus enim ſacri nihil eſt, ij opinione iudicióque ſuo ſacrilegi eſſe non poſſunt. Quid verò quòd ſacrilegia vobis laudi ſunt, quæ priſci legumlatores parricidij ſupplicio multanda cenſuerunt? [4] quæ Plato (cuius popularem formam reipub. in hoc tibi dialogo ſequendam propoſuiſti) non habet vulgariũ criminum loco, ſed à numine contemptum legum, & ſuas iniurias vlciſcente, in ſcelerum vindictam & pœnam immiſſa eſſe dicit hominibus à priſtina fœlicitate delapſis, & iam penitus cœleſti gratia deſtitutis. Sed vt hæc temeritati condonemus tuę, quæ diuinis humaníſque legibus acerbiſſimè coërcentur, excutiemus nobilem hunc dialogũ, vt ad ea quæ ſunt improbitatis & inſcitiæ veniamus.

3 L.2. & 3. C. de crim. ſacrileg. L.1. C. de ſedit. L.1. vt dignit. ord. ſeru.

4 Plato lib. 9. & Cice. lib. 2. de leg.

Ac primùm quidem, quid eſt in tota illa

diſputatione, quod inſcriptioni reſpondeat? Neque enim traditur ius vllum Scotici regni proprium, ſed, vt ipſe videri vis, ex naturæ fontibus educis ius omnium gentium commune, nec id tamen vllius gentis obſeruatione receptum vnquam, aut iudicio probatū, ſed opinione ſuffragióq; tuo, nō modo Scotis, verumetiā aliis nationibus omnibus atq; populis obſeruandum. Quorſum igitur iſta?

DE IVRE REGNI APVD SCOTOS.

Nam ſi naturę ius ſequendum eſt, non erit aliud Scotis, quàm Gallis, quàm Germanis, quàm barbariſſimis quibuſque nationibus. Vna enim ſimplexque naturæ lex eſt, vbique ſui ſimilis, vbique eadem, cuius peritia belluę quoque cenſentur, vt loquitur Vlpianus?[5] Quæ lex omnibus animantibus eam libertatem indulſit, vt neque regem, neque legem vllam aliam ferre queant.[6] Sed tu cum à natura ius repetendum eſſe dicis (quamquam ea in parte non admodum tibi conſtas) hanc naturæ conditionem atque legem, opinor, non intelligis, ſed eam quæ humanæ tantum naturæ maximè conſentanea eſt, quod noſtri ius gentium appellant. Nam eo priſtina libertas euanuit, ſeruitutes & manumiſſiones introductæ, regna condita, diſtincta rerum dominia, emptiones, venditiones, locatio-

[5] L.1.§.per. de iuſt. & iur.

[6] l.4.cod.

nes, conductiones, obligationes inſtitutæ, ſancitæ leges, quæ prohiberent iniuria tenuiores, & ſummos cũ infimis pari iure retinerent.[7] Ex hoc naturæ fonte ius, ni fallor, Scotiæ regi præſcribis. Sed quodnam illud?

7 L.5. eod.

„ *vt ſumat, vt ponat ſecures*
„ *arbitrio popularis auræ.*[8].

8 Horat. lib. 3. car.

Sed quæ tandem huius rei teſtimonia profers? nulla, ſi Iacobum eius nominis tertium exceperis. Neque tamen id exempli quidquam ad rem facit, vt pòſt ſuo loco dicetur. Sed Chilpericus Francorum rex, Chriſtiernus Danorum, populi iudicio ſe ſummis imperiis abdicarunt in priuatorum ordinem redacti. Sed quid hæc ad regni ius apud Scotos? Neque enim hi Scotis imperarunt, ſed Gallis, ſed Danis. Cum igitur rerum in Scotia geſtarum fides & hiſtoria nihil argumenti ſuppeditet aſſerẽdo iuri quod proponis cur potius de Scotici regni iure, quam vel Gallici, vel Danici, dialog⁹ ille tuus inſcribitur? At rationibus id ius in Scotia receptum probas? Sed geſtorum exempla refragantur, quæ deſtruunt quidquid rationibus aſtructum putas. At inquies in illo dialogo non agi de facto, ſed de iure: non præſcribi ius aliquod Scotiæ maioribus obſeruatum, ſed obſeruãdum, ſi è virtutis & naturæ lege viueretur.

Quod ſi ad virtutis, ſi ad naturæ legem nos reuocas, vt tibi ius iſtud rectè poſitum eſſe concedamus, quo nullum execrabilius eſſe poteſt, nec à naturæ, nec à virtutis præſcripto alienius, nō ſatis dictum fuiſſet, DE IVRE REGNI? quorſum illud? APVD SCOTOS. Cur enim virtutis imperio Scoti magis obnoxij ſint, quàm cæteri mortales? Quæ ratio Galliam, Hiſpaniam, Italiam, Germaniam, cæterâſque nationes omnes naturæ lege ſoluet, vt ea ſoli teneantur Scoti? Sed eſto, ſoli teneantur hoc iure Scoti, vt populus regib' imperet: vt rerum ſummæ præſit: vt multitudinis optioni regnum, ac non legitimæ ſucceſſioni deferatur: vt imperitæ multitudini reges, non regibus multitudo ſit obnoxia (nam hæc, opinor, quædam eius iuris capita ſunt, quod rogatum cupis) cum tot ſæculorū memoria, florentibus Scotiæ rebus, contrario iure ſteterit imperium, quorſum iſta nobis obtruduntur, ſi priſtina non diſplicet imperij forma? ſi non imperij loco affectatur anarchia? ſi non poſt arnarchiam tyrannis? Itáne leuiter mutanda ſunt iura? Ita veteres antiquandæ leges? Putas hic agi de ſyllabarū quantitatibus, & non maiore periculo metaplaſmos & tropos in legibus admitti, quàm in verſibus? Ita liberas arbitraris regnorum,

vt verborum, diæréſeis ac metaphoras? Plato, cuius tu rempub. introducere velle videris, adeo vehementer abhorret à rerum innouatione, vt ne muſicæ quidem modulos immutari patiatur.[9] Ciuitatúmque hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum conſeruare modum, vt eſt apud M. Tullium, quod hac vna in re maxima rerumpub. momenta verti iudicarent. In Terpandrum Ephori, Timotheum, & Phrynidem muſicos grauiter animaduerterunt, quod ille præter neceſſitatem, variandæ vocis gratia, chordam vnam intendiſſet: hi ad pleniorem modulationem vnum aut alterum neruum fidibus addidiſſent. Quid ſi nouas leges refingere, quid ſi patriæ ritus abolere, quid ſi maiorum inſtituta peruertere voluiſſent? Et tibi quiduis in rempub. licere putas? Vtinam arbitratu tuo muſicam fingeres, refingeres, ac politicis tantum legibus abſtineres, quæ niſi cum publici ſtatus interitu mutari non poſſunt. Zaleuci vetus illa ſanctio Locrenſibus diu ſalutaris fuiſſe dicitur, vt ſi quis vel antiquam legem abrogare vellet, vel nouam ſuadere, is in collum iniecto laqueo prodiret in concionem, atque ſi populi ſuffragiis æqua & reipublicæ profutura ſanctio videretur, abiret indemnis: ſinautem inutilis & perni-

9 Lib. 2. de leg. & lib. 3. & 4. de repub.

10 Lib. 2. de legib.

cioſa, attracto laqueo ſuffocaretur. Quid ſi tu incidiſſes in ea tempora, & nouam hanc de imperio legem tuliſſes? Vbi Stillicidiorum ac parietum ius tanta ſeueritate conſtabat, quanta cautione ſanxiſſent eam legem, qua rerum ſumma contineretur? Sed, vt valeant Locrenſium inſtituta, ſatis hoc noſtris moribus, & maieſtatis lege cautum fuiſſe videmus, ne quid perperam ac temerè de ſummo magiſtratu, ne quid incõſultè de imperij ratione dicatur. Sed nos leges habemus, tanquam gladios in vagina reconditos, quas iniuria temporum, quas hominum impietas vim ſuam exercere non ſinit. Eóque minus inſolentiæ tuæ concedendum eſſe cenſeo, quod hac perditiſſima rerum omnium confuſione conculcatis legibus, ac publica priuatáque diſciplina corrupta, in pueri necem, cui tu conſulendo præfectus es, abutaris ingenij facultate, quam tibi ſummam largita eſt natura, quibuſlibet ſtudiis quàm ferendis legibus aptiorem. Nondum cœptus eſt dialogus ille tuus, & tam turpiter in ipſo veſtibulo in duo maxima peccata impegiſti, quorum alterum temeritatis eſt, alterũ ineptiæ, ne dicam inſcitiæ. Nam quod terminos moueris, hoc eſt, imperij legem refixeris, horrẽdi carminis legem extimeſcere debuiſti, qua

temerè factum expiari oporteret, ſi iure tecum ageretur. Quod verò nihil adduxeris inſcriptioni conſentaneum, & lectorum fefelleris expectationem, quanquam hoc ſtellionatus crimini proximum eſt, tamen quia dolo malo feciſſe non videris, non extraordinario iure tecum, ſed interdictis agam, vt reſtituas quod factum eſt. Ecce enim nouū opus tibi denuncio. Errorem igitur agnoſce tuum, fuerit pœnitenti medicina confeſſio. Sed quid ſi duobus illis tertium adiiciamus, & leuitatem illam tuam ac ineptiam cumulauerit impudentia? Regi librum nuncupas regiæ poteſtatis euerſorem: ſarcaſmo regem appellas quem regno ſpolias: hoſtiliter inſultas ei quem regis nomine ſalutas. Non hoc eſt Pilati more Chriſtum Iudæorum regem inſcribentis, vnctum domini populo deridendum exponere? Tu regiam maieſtatem popularis auræ pediſſequam facis: tu ademptam regi, populo maieſtatem attribuis: tu ſacro ſanctam illam poteſtatem plebis libidini ſubiicis: tu conſtitutum dei iudicio magiſtratum leonis inſtar aut vrſi cuiuis arbitratu ſuo tractandum præbes. Et tamen officioſus homo regi librum mittis harum contumeliarum & perfidiæ plenum, quaſi in illum ſtudij teſtem tui. Scis tibi rem eſſe cum

puero, cuius nunc legitimum imperium agnoſcis, quanquam eo tempore quo ad ſcribēdum acceſſiſti, ſpurio regnum illud, quod nunc legitimum appellas, comparare ſtuduiſti. Nam eius rei multi proxenetæ fuiſtis. Argumento ſunt ſecreta illa conſilia tot locis agitata: famoſi libelli paſſim editi: ſiniſtri ſermones clam habiti, quibus patris, quibus matris ſugillabatur fama, partui ſtatus quæſtio mouebatur. Teſtes erunt quotidianæ miniſtrorum veſtrorum conciones de abolendo iure ſucceſſionis: non deferendum generi, ſed virtuti regnum: non eſſe legitimi ſanguinis eam vim, vt quemquam ad regiæ dignitatis faſtigium prouehat, nec illegitimi, vt quemquam inde moueat: populo datam eſſe numinis oraculo creandi regis optionem: populum euangelicæ libertatis aſſertorem, non eſſe agnationis legibus obnoxium: iniuſtum eſſe mulierum imperium, & ſacris tabulis interdictum. Quorſum verò iſta, niſi vt in ſpurij gratiam reginæ partum regno excluderent? Si negas, profer aduerſaria illa tua, profer ſchedam, componatur hic liber cum archetypo, cum exemplari ſuo conferatur. Omiſſa prome, repone deleta, reſtitue cancellata. At ne nunc quidē, quanquam legitimum agnoſcis

regem, maieſtatis & dominationis vocabula ferre potes, eáque barbariſmos & ſolœciſmos aulæ vocas.[11] Nam ſi mens tua ſcriptis conſentit, hæc honoris & reuerentiæ nomina, hi maximi magiſtratus tituli, opinione iudicióque tuo populi ſunt, non principis. Populum enim & legibus & regibus ſuperiorē facis. Quod eò pertinet, vt excuſanda paucorum perfidia, qui reginæ ſceleratas manus iniecerunt, ingrati animi labem eluas, tibi cōtractam ex falſa accuſatione quam in Anglia latinè declamaſti, quo tempore Londini cum perduellibus agebas. Nam eò coniurati veneratis in dominæ caput pauculi prædones cum parricida ſpurio, Iohannis Ballioli patrum noſtrorum memoria, patriæque iudicio damnatum fœdus cum Anglo renouaturi. Sed illi quamquam incendia regni Scotici per vos excitata cupidè fouebant, ea fœlicitati ſuæ tribuentes, cauſa tamen cognita, & veſtram damnarunt impudentiam, & miſeræ principis innocentiam agnouerūt. Eam tu è veſtigio neci traditum iri putabas, ſpurio tuo in ei⁹ dominationem ſubrogato. Sed non fuit ea vis putidæ illius orationis quam ex Latina Gallicam reddidiſti, vt ingrati in diſcipulam animi tui certius ac luculentius teſtimonium extaret. Id ſcripti paſſim hîc

11 In Epiſt. nūcupato.

manibus hominum teritur pro famoſo libello, cum nec orationis, nec hiſtoriæ vllam præ ſe ferat imaginem: eóque nec malis probatur, propter inelegantiam ſtyli, nec bonis, propter argumenti falſitatem & proditionis infamiam. Vnum modò laudant, quod auctoris ſuppreſſo nomine, libelli famoſi, calũniarum & mẽdaciorum lectori ſuſpicionem inieceris, quanquam id aliò pertinebat, vt perfidiam tuam & ingrati animi notam ſilẽtio tectam & occultam haberes. Quod quoniam erumpente paſſim veritate obtinere non potuiſti, nunc pertinaciter in eo perſtas, & flagitiũ illud tuum probabili ratione quadam adumbrare ſtudes, eiuſq; populum atque adeo totius cõiurationis auctorem laudas. Quod quanquam ipſe falſum eſſe non ignoras, nec populus vnquam in vllam tyrãnidis ſocietatem coierit, ſed conſtanter in obſequio principis & fide permanſerit, eo tamen confugis, vt multorum infamia paucorum ſcelus eleues. Qua in re nihil penſi habere videris, quãtopere lædas quidquid id maieſtatis eſt, quod populo attribuis, cum priuati ſceleris inuidiam in publicum dedecus amoliris. Nam multo maior melióroque populi pars reginæ ſemper adhæſit, vt altera illa ſpurij tui, vt Mortonij factio ſine veterrimo-

rum hoſtium copiis & auxiliis nunquam ſe tueri, nunquam in acie conſiſtere potuerit. Ac ne nunc quidem ſi populum perconteris, auctoritatem coniurationi veſtræ ſuam interponet, nec vlla ratione litis periculum in ſe recipiet. Sed eſto: litem hanc ſuam faciat, quid tum? Iure factum videbitur, quod errore populi factum eſt? quid ſi non errore, ſed inſania factum eſt?[11] Quid ſi non inſania, ſed deliberato conſilio & voluntate? Tum verò multo magis iure factum erit. Hunc nos errorem ſuo loco refellemus, nunc agamus quod inſtat.

11 L. Barbarius. D. de offic. præt.

CAPVT 3.

OCcaſionem Dialogo præbet nefaria cõiuratio, qua dominam veſtram in ordinem coëgiſtis. Nam liber hic tuus nihil aliud quam rebellionis illius & perfidiæ defenſionem continet. Si enim iure tueri poteris eorum facinus, qui ferro ignéque principem perſecuti, tyrannide regnum occuparunt, te quoque vitio exemeris, qui petulantiſſima lingua profugam laceraſti, qui furioſa concione tyrannidi patrocinatus es. Sed gratificari voluiſti ſpurio tuo, qui iamdudum animo Scotiam inuaſerat, & Mortonio, cæteríſque ſpurij fautorib⁹, qui ab ipſis incunabulis

hucuſque proditionis & lęſæ maieſtatis infamia laborarunt. Nam hi cædis illius auctores fuerunt, quàm ab iis in dominæ caput auertere conaris. Sed ad rem. INITIO diſputationis quod boni omnes & à partium ſtudiis alieni falſum eſſe intelligunt, pro cõfeſſo aſſumis (quoniã id Londinenſi declamatione tibi probatũ eſſe putas) reginæ facto cæſum eſſe maritum, ac proinde nõ iniuria tam turpe facin⁹ populariũ armis ac rebellione vindicari. Sic enim totã rem ratione tibi cõcluſam arbitraris. [1] *Si exteræ nationes prioris atrocitatem ſceleris tantopere execrãtur, quî conuenit ſeueritatem in eo vindicando reprehendere? Aut ſi reginam in ordinem redigi moleſtè ferunt, prius eſt neceſſe vt probent.* Imo nõ eſt neceſſe vt probent, primùm, quia (quod tu totius diſputationis fundamentũ eſſe vis,) nemo ſanus, & veritatis amans tibi conceſſerit, priori ſceleri conſenſiſſe reginam. Nam teſtimoniis ac laudationib⁹ ſuis optima princeps iam ſatis ſuperque nequiſſimorum hominum periuria refutauit. Deinde, vt conſenſiſſe fateamur, non ſeueritate crimina, ſed legibus puniẽda ſunt. Nam & populus Romanus, ad cuius leges nos plærumque reuocas, cum extra ordinẽ cognoſcebat, nõ quouis id accuſante, ſed tribuno deferẽte, faciebat: & in illo populi iudi-

1 Pagina Dialogi quarta. Editionis Ediburgenſis.

cio iuris ordinarij ſolennia maximè vigebant, vt eſſet accuſator, teſtis, citatio poſt trinundinum. Neque enim præhenſo reo ſtatim audiebatur feralis illa vox horrendi carminis, I lictor, colliga manus, caput obnubito, infœlici arbori ſuſpendito. Hic autem nec accuſator vllus idoneus, nec teſtis, nec iudex auditus vnquam fuit. Sed ipſi parricidæ, qui legitimam non habent vllam in iudicio ſtandi perſonam, huius criminis & accuſatores, & teſtes, & iudices extitêre, cõſcientiæ furiis agitati, ne veritas innoteſceret. Nam huius paricidij vindices videri volunt, vt eius ſuſpicione ſe liberent, quos omnium mortalium iudicio conſtat nõ modo conſenſiſſe ſceleri, verumetiam eius auctores extitiſſe. Nam egregij veteratores toties proditionis infamia notati, toties damnati perfidiæ, toties à furca redempti, ſtante legum auctoritate, ſaluo imperio, incolumi principe, iuſti ſupplicij metu conquieſcere non poterant. Eorum princeps apoſtata, nõ regis ille quidem, vt vulgo prædicabatur, ſed terræ, nec terræ, ſed Orci filius, poſt adeptũ Morauiæ comitatum, quaſi natalibus reſtitutus, falſa criminatione regnum ſibi parabat. Nota ſunt ſecreta illius colloquia, nota conſilia cum Lyndeſæo, cum Knoxio, &

aliis

aliis coniurationum architectis agitata. Notum matris ſomnium, cui prægnanti viſum eſt, vtero ſe draconem geſtare, qui leonem (Scotorum regum inſigne) peſſundaret. Quid verò, quod importuna flagitatione reginam quotidie fatigabat, & propè conuitiis extorſerat, vt ſuis hæredibus regni iure ſpoliatis, eius potiundi ſpem quatuor familiis adiudicaret? Ac inter eas ſuam primo poſt principem loco eſſe volebat. Verũ vbi multis repulſis præcidi poſtulata ſua cognouit, ſe propitiis hymenæis cõceptum, ſe iuſtis nuptiis procreatum, matrem regis vxorem, ſe legitimum regis filium iactitare. Nam & eius rei tabulas quaſdam proferre in ſuorum hæredum necem ingenioſè compoſitas. Eius conatum Mortonius adiuuare, non amore hominis vllo, non beneuolentia, nõ officio, ſed partim iudiciorum metu, partim predæ opinione, quòd animo fixum ac cõſtitutum haberet, ſpurium de rerum ſumma deturbare, quemadmodum ille Hamiltonum gentẽ regni ſpe ſummouerat. Neutrum fefellit opinio. Nam eiecta legitima principe, vterque tyrannide regnum occupauit:

„ *auſus vterque nefas, domini reſperſus vterque* 2
„ *inſontis iugulo.* [2] Claudian. de 4. conſ. Hon.

At hic ſæpius ob ſcelera, ob flagitia profug9,

ſæpius volente, ſæpius inuito principe reſtitutus, debita legibus ſupplicia declinauit. Sed parum bene conſultus id in comitiorũ acta referri paſſus eſt, ac publicis monimentis conſignatum infamiæ teſtimonium poſteris extare. Cæteri verò qui in hoc crimen ſubſcripſerunt, partim ex infima nobilitate, partim ex plebe, ſuo commodo patrocinabantur, ſi quo iure, qua iniuria, regio ſtemmate profligato, in ſpurij familiam atque gẽtem regni faſces transferre potuiſſent. Nam horum alij eius magna parte cognati, familiares, amici: alij excurſores & emiſſarij: alij mercenarij, ſatellites, aſſeclæ: alij quadruplatores improbi, & ſectores regiæ ſupellectilis: omnes inceſti, ſacrilegi, perduelles: omnes infami aliquo iudicio notati, cõturbari rempublicam, quàm nimis valerè malebãt, quod ſalutis ſpem nullam ſaluo imperij ſtatu ſibi relictam eſſe putarent. Igitur quod genus hominum iura non patiuntur in cauſæ pecuniariæ teſtimonium adhiberi, nec priuato crimen intendere [3] id in principis accuſationem admitti potuit, ac non accuſatorum modo, verumetiam teſtium perſonam ſuſtinere? Vetant antiquæ leges Chriſtianos à Iudæis, orthodoxos ab hæreticis, epiſcopos à laicis, à liberis parentes, à libertis patro-

[3] L. qui accuſare. & paſſim D. & C. de accuſat. de teſtib. & de his qui accuſ. non poſſ.

nos, maiores à minoribus accuſari. [4] Arcadius & Honorius augg. ſolenni lege cauerunt, ne ſerui dominorum delatores audirentur, ſed ſi quis eius exiſtimationem, caput atque fortunas peteret, cuius familiaritati vel dominio inhæſerit, ante exibitionem teſtium, atque examinationem iudicij in ipſa expoſitione criminum atque accuſationis exordio, vltore gladio feriretur. Vocem enim funeſtam, aiunt illi, [5] amputari potius oportet quàm audiri. Quæ cum ita ſint, qua fronte mancipia nequiſſima aduerſus dominam, profani ſycophantæ aduerſus ſacroſanctum magiſtratum, impuri apoſtatæ contra Chriſtianam principem, & vice patriæ colendam, in iudicio conſiſtere potuiſſent? Itáne ſummi vis imperij patêre debuit infimorum ludibrio? Ecquis impune tuliſſet iſta iudex? Mortonius, credo, aut ſpurius, qui cauſæ ſummæ diſceptationem ſibi depoſcebant. Ius, mos, leges, reſpectus imperij, reuerentia legitimi magiſtratus quem poſt hæc vel retinebunt pudore, vel metu coërcebunt? Clandeſtina cũ hoſtibus colloquia, initę cũ externis populis factiones maieſtatis iudicio vindicantur. [6] Hi verò quo ſupplicij genere perfidiam luēt ſuã, qui cum adeptã ſibi quæſtionis exërcendę facultatem animaduerterent,

4 L. quoniã C. de hæret. & Manich. D. L. qui accuſare. D. de accuſat. 1. Corinth. 4. clem. rom. epiſt. 1. ad Iacob. frat. dom. Euſeb. epiſt. 1.

5 L ſi quis, c. de his qui accuſ. non poſſ.

6 L. quiſquis c. ad leg. Iul. maieſt.

ne penitus extincta Balioli poſteritas videretur, & principem & patriam alienæ (ne dicam hoſtili) iuridictioni & imperio ſubiecerunt? At illa quanquam ea in re ius omnium gentium violatum intelligebat, & ſe fori pręſcriptione tueri poſſet, anteactæ vitæ conſcientia, quaſi aheneo ſe tectā muro ſentiens, nihil morata periculum, quod ineſſe negotio non ignorabat, ne tergiuerſari, ne latebras quærere videretur, accuſatores ipſa ſuos iudicio prouocabat. Quid inde conſecutum eſt? Hoſtibus ita ſuam probauit innocentiā, vt accuſatorum infidelitatē, barbaram, crudelem & impiam coniurationem abominarentur. Quid ſi teſtibus obrutam & oppreſſam, quid ſi iudicio conuictam, quid ſi paricidij compertam, delegati iudices in noxa eſſe, ac manifeſto teneri pronunciaſſent? Iure in numerum coacta videretur? At apud eos iudices lege agi nō potuit. Priuatorum enim cōſenſus iudicem non facit, nec quod is ſtatuit rei iudicatę vim & auctoritatem habet.[7]

7 L.3 C.de iuriſd. om. iud. cap. ſignificaſti. de for. cōpet.

Cum igitur occupādi regni ſpe & opinione, nullo iure, nullo ordine, ſed priuati quæſtus & emolumenti gratia, populo non interpellato, prodita patria, cauſam hanc ſuſceperint impij perduelles, & crimen abs ſe perpetratū in principem innocentem mendacio contu-

lerint,iure meritóque dãnant hanc in ea perſequenda ſeueritatem, qui prioris atrocitatẽ facinoris execrantur. Vides nunc, Buchanane, quàm ſolidum ac ſtabile ſit fundamentũ, cui totus dialogus ille tuus incũbit? Sed eſto (quod nemo bonus vnquã animo præſumpſerit) cædis conſcia fuerit, quid tum? quid ſi verbo vno rationes tuas omnes eluſerit? Quid ſi tuo te gladio iugulauerit? Nam ſi tibi conſtare velis, tyrannum fuiſſe fateberis, ac proinde iure cæſum. Siquidem ille Dauidem Riccium, hominem haud vulgaris ſapientiæ, fidei, probitatis, & religionis integerrimæ, nullius conſcium ſceleris, nulla cauſa, ſupplicem, & ius, fas, leges inuocantem, in oculis Dominæ vim & iniuriam deprecantis, in auguſto regiæ cænaculo, in ſanctioris aulæ penetralibus, immaniter paucorum perduelliũ libidini mactauit. Parũ hoc erat, niſi & vxorem, ex cuius nutu res illius omnes rationeſque pendebant, cuius benignitati quidquid erat acceptum ferre, in cuius amore atque beneuolentia conquieſcere debebat, ac fortunam, quod aiunt, reuerenter habere, in arctiſſimam cuſtodiam ablegaſſet. Atqui vt iuſti doloris ac vindictæ ſpecie turpiſſimum facinus adumbraret literis ad Chriſtianiſſimũ regẽ, ad exteros principes & populos datis,

impiorum paricidarum, quorũ nomina tum crebris ſermonibus vſurpare cogor, conſilio & ſuaſu, ne dicam imperio, dominam ſiniſtra pudicitię fama traduxit. Ecquid hoc crimine grauius in optimã caſtiſſimámq; principem vel admitti, vel confingi potuit? Sed eò inductus eſt, eò pertractus incautus adoleſcens perduellium fraude ac dolo, qui ambitione cæci, qui regnandi cupiditate flagrantes, mariti facto primùm vxorem tollere, deinde iuſto ſupplicio maritum, maieſtatis lege dãmnatum, vxoris manibus immolare decreuerant. At, inquies, hoc illius vnicum facinus eſt, tyrannidis vocabulo minimè deſignandum. Sed & illud vnicum eſt reginæ: ecquod enim aliud obiectum eſt illi? ecquod aliud vnquam à vobis excogitatum? At eſt alienæ religionis, & illius iugo libertus euangelij nos exemit. Veſtræ religionis nemo bonus vnquam fuit, & publicæ pacis ac tranquilitatis amans. Illa Chriſtum, prophetas & apoſtolos, illa maiores noſtros ſuæ religionis auctores habet ac magiſtros, quorum tanta ſapientia fuiſſe videtur, vt ſatis ſupérque prudentes ſint, qui illorum religionem non dicam aſſequi, ſed quãta fuerit perſpicere poſſint. Illa pátriæ legibus receptam, & à Donaldi primi temporibus in hæc vſque ſæcula pa-

trum noſtrorum iudicio probatum religionem colit: vos ſontico morbo attoniti, præ noua & inaudita Caluini rebellione patrias leges, maiorum ſapientiam, pietatis & iuſtitię ſacra contemnitis. Sed non eſt huius loci de religione controuerſia, nec patitur inſtituti ratio, vt inſolentiam leuitatémque veſtram cum illius conſtantia & animi moderatione contendamus. Poſitũ hoc ſit nobis, quod inficiari ſaluo pudore non valetis, vnius eam à vobis noxiæ poſtulari. Illa tyrannidis appellatione cenſebitur. Tyrannidem ergo fuiſſe fatebere priorem illam Dauidis, innocentis viri, cædem. At hæc, inquies, in maritum, in regem: illa in extraneum, in abiectum & vilẽ homuncionẽ perpetrata fuit. Quid inde? Tu perſonarũ nõ vis vllã, ſed criminũ modo rationẽ haberi, eandémq; legẽ ſummis viris dictã & infimis. Nã, quod ipſe ex poëta refers, Pag.91

„ *Facinus quos inquinat, æquat.*

Vbi enim in ius ventũ eſt, regis perſona deponitur, & legis vox, omnibus eadẽ, perinde regẽ dãnat ac cęteros. Sed cui perſuaſeris vnquã facin⁹ illud adoleſcẽtis optimi, ad quod nõ ſponte ſua, ſed imprudẽtia, ſed perduelliũ aſtu pellect⁹ eſt, captionibus & inſidiis, eũ vt vnà cũ vxore perderẽt (quanquã id ita clarũ eſt orbi terrarũ, vt negari nõ poſſit) tyrãnidis

infami notatione vindicãdum : Quanto minus tyrannicam fuiſſe probaueris reginę dominationem ob vnicum illud eius nomini falſò conflatum ſcelus , cuius eos auctores fuiſſe norunt omnes, qui vitandi ſupplicij, & ſuſpitionis à ſuis capitibus amoliendę gratia, violatæ coniugalis fidei vindices populo videri voluerunt ? Non te pudet hominem in literis exercitatum, vnius criminis occaſione, necdum probati, reginam quaſi tyrannidis non iam ream, ſed compertam & damnatam, Scotici regni iure in ordinem coactam eſſe profiteri? Excuſari poſſes, niſi puer olim didiciſſes, οὔτε μία χελιδὼν ἔαρ ποιεῖ, οὔτε μία ἡμέρα. [8] Et tu tyrannidem, quod extremum eſt omnis inſipientię, quod plurimorum colluuione flagitiorum ac ſcelerum, quod incurabili morum ac naturę malignitate, quod deplorata reipub. ruina conflatur, cenſes vnius facinoris admiſſione definiri ? Rex ille pſalmographus, tibi maxima cum ingenij laude notus, homicidium adulterio cumulauit, nec propterea tamen à populo cæſus eſt, nec tyrannidis appellatus, quanquam apud Hebræorum gentem adulterium capitis pæna ſancitum erat. Sed vt vitiorum nulla ſint principia, quemadmodum ſunt virtutũ, nulla incrementa, nullę acceſſiones, ſed vt vno eo-

8 Ariſtot. Ethic. Nicomach. lib. 1. cap. 7.

démque momento & inchoentur, & cõſummentur, atque vt Scotiæ regina, quod tibi fixum ac cõſtitutum eſſe video, vnico hoc facinore nihil ad extremam, & numeris omnibus expletam tyrannidem reliqui ſibi fecerit, itáne crudeliter illud animaduertendum fuit, vt indicta cauſa princeps, vt prçter reuerentiam ſacroſancto magiſtratui debitam, vt nullo maieſtatis nec diuinæ, nec humanæ reſpectu damnaretur à ſuis? Itáne barbarè crimen illud; quod vnum aduerſus principem probabili coniectura & argumento aliquo ementiri potuiſtis, expiandum erat, vt patriæ ius & imperium hoſti proderetis? Quid ſi verum illud eſſet, & cum infinitis eius virtutibus in certamen veniret? Tantam ei caliginem offunderent, vt ne in cõſpectu quidem relinqueretur. Quanto æquius Perſæ rerum capitalium reos iudicio non condemnabãt, niſi plura in iis probro quàm præmio digna reperiſſent? [9] Sed neſcio quo naturæ vitio comparatum eſt; vt non tam quæ recta ſunt laudentur, quàm quæ praua faſtidiis adhæreſcant, [10] & ſi quid ſemel in vita deliqueris, id infinitas animi dotes, & res quantumuis egregiè geſtas obliteret. Quo in genere valdè mihi peccare videris, mi Buchanane, qui adeo Stoica fronte cum tæterrimis illis mõ-

9 Diodor. Sicul. lib. 1. & 15. ant.

10 Cicer. lib. 2. de orat.

ſtris, Caligula, Nerone, Domitiano, quorum poſt fata memoriam crudelitas ſola nobilitauit, dominam tuam in contentionem vocas, calamitatem ſola clementia, lenitas, & miſericordia, quã ſæpius æquo nefariis proditoribus abutendam indulſit, regno peſtem & exitium attulit.

CAPVT 4.

QVid ſi nec eos quidem, quanquam vtiliter cæſos euentus comprobauit, iure pœnas luiſſe fateamur? Vulgo quidem id videri ſolet, nullam inferri tyranno poſſe iniuſtam necem. Nec enim iure vel iniuria quidquam, ſed rerum euentis omnia metitur, & quod ait ille,

11 Iuuenal. ſaty. 10.

[11] *Turba tremẽs ſequitur fortunã, vt ſemper, & odit damnatos.*

Sapientibus autem hominibus, & in rerum adminiſtratione verſatis, qui non ex arbitrio fortunæ, ſed ex ſua quamque rem vi ac natura æſtimant, longè alia mens eſt, quippe qui non priuatorum affectibus & libidini, ſed legibus ſupplicia permitti volunt. [12] Ac recte M. Tullius in ſua republica vim ſemper abeſſe iubet, [13] quod nihil exitioſius ciuitatibus eſſe queat; nihil tam contrarium iuri & legi-

12 L. ſi cum nulla. D. de re iudic. L. 1. C. de excep rei iudic.

13 Lib. 3 de legib.

bus, nihil minus ciuile & humanum, quàm compoſita, & conſtituta repub. quìdquam agi per vim. Ac proinde legem Plautiam de vi, cuius primo capite tenebantur ij, qui magiſtratibus vim attuliſſent, ad imperium, ad maieſtatem, ad ſtatum patriæ, ad ſalutē omnium pertinere ſcribit.[14] Tyrannos fuiſſe illos neutiquam inficias iuero,

[14] In orat. pro M. Cœlio.

Quorum ſupplicio non debuit vna parari
ſimia, non ſerpens vnus, non culeus vnus,

ſed publicas iniurias priuatorum auctoritate nego potuiſſe vindicari. Horum enim interfectores ſibi cauere, non populo, voluerunt: nec populi, ſed ſuas perſequebantur iniurias. Publicarum legum vox eſt,[15] etiamſi quis perditè ſceleribus implicetur, idcirco tamen iudiciorum vigorem, iuriſque publici tutelam in medio conſtitutam videri, ne quis ſibi ipſe permittere valeat vltionem. Caſſius Chærea nullo nec magiſtratuum, nec populi iuſſu C. Caligulam interemit, quòd ſe illi ſuſpectum coniurationis, & inuiſum eſſe ſentiebat. Neronem peremit Galba, monſtrum ipſo Nerone propè deformius, non vt populum indigna ſeruitute liberaret, ſed vt ipſe potiretur imperio, & ad libidinem ſuam bona ciuium fortunáſque vexaret. Domitianum è medio ſuſtulit è gladiatorio ludo

[15] L. nullus. C. de Iudæis & cœlico.

quidam inita coniuratione cum Maximo libertinæ conditionis homine, & Stephano quodam per id temporis interceptarum pecuniarum reo. Nemo bonus tyrãnorum cædi ſuffragatus eſt. Populus harum mutationum ignarus agebat: priuati iuris haud erat, magiſtratus tollere, populi iudicio & auctoritate conſtitutos. Gratiam tyrannicidis intermiſſæ tyrannidis, non ſublatæ, reſpublica nullam habuit, quod hominũ id iniuria, fortunæ beneficio cõtigerit. Quidam cum hominem occidere cogitaſſet, tuber eius gladio diuiſit, & nocendo ſanauit malum, quod medicorum manus reformidauerant. Eodẽ planè modo profuerunt illi reipublicæ, non obligarunt. Aconitum multis aliquando remedio fuit, neque tamen ideo medicis inter ſalubria numeratur. Sic illi tyrannicidæ, peiores iis fortè quos ſuſtulerant, beneficium hoc, ſi quod eſt, non ipſorum virtuti, ſed fortunæ tribuendum, publica iniuria cumulatũ maiore maleficio penſarunt. Neque enim ſcelus ſcelere vindicandum erat. Nam bono vinci ſatius eſt, quàm malo more iniuriam
16 vincere. [16] Sed vt hac in re quod vtiliter factum eſt iure factum eſſe concedamus, licuiſſe Caſſio, Galbæ, Stephano tyrannos haud expectato *S.P.Q.* Romani ſuffragio trucida-

16 Saluſt. in Bello *Iugurth.*

re, videamus nunc eadem ne ſit illorum & principis noſtræ cauſa: & quemadmodum interpoſita populi auctoritate id illi perpetrare iure potuiſſent, ita ſpurij, Mortoniíque factionibus dominam populi iudicio & volũtate in ordinem cogere licuerit. Hoc enim primum ac præcipuum eſt dialogi tui caput, cui tu fulciendo velificaris, vt nõ modò impune tibi tua ſint conuitia, verumetiam laudi, quibus dominam cruentis perduellium manibus elapſam, & iam indigna calamitate proſtratam & afflictã, impiè proſcindere nõ dubitaſti. Ac primum quidem tyrannos fuiſſe illos rerum nequiſſimè geſtarum memoria loquitur, quæ cum principis tuæ viuendi ratione contendantur. Tyrannus enim, vt ait Seneca,[17] diſtat à rege factis. non nomine: ſpecies enim ipſa fortunæ ac licentia par eſt. Sed quia lõgum foret rerum ab illis immanitate barbara geſtarum hiſtoriam recẽſere, vt compendio rem includamus, expreſſam eleganter à chriſtiano poëta, & ſuis coloribus adumbratam tyrannidis ſpeciem & imaginem exhibeamus, ad quam fingamus imperandi rationem illos omnem, atque adeo totius vitæ inſtituta conformaſſe. His enim Africam ille de Gildonis tyrãnide cõquerentem introducit.[18]

17 Lib. 1. de clem. cap. 12.

18 Claudian. de Bello Gildon.

pars tertia mundi
Vnius prædonis ager, diſtantibus idem
Inter ſe vitiis cinctus, quodcumque profunda
Traxit auaritia, luxu peiore refundit.
Inſtat terribilis viuis, morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obſcœnus adulter.
Nulla quies: oritur præda ceſſante libido,
Diuitibúſque dies, & nox metuenda maritis.
Quiſquis vel locuples, pulchra vel cõiuge notus
Crimine pulſatur falſo: ſi crimina deſunt,
Accitus conuiua perit. Mors nulla refugit
Artificem. Varios ſuccos, ſpumáſque requirit
Serpentum virides, & adhuc ignota nouercis
Gramina. Si quiſquam vultu præſentia dãnat,
Liberiúſve gemit, dapibus crudelis in ipſis
Emicat ad nutum ſtricto mucrone miniſter.
Splendet tartareo furialis menſa paratu,
Cæde madens, atrox gladio ſuſpecta veneno.
Crinitos inter famulos, pubémque canoram
Orbatas iubet ire nurus, nupérque peremptis
Arridere viris. Media Carthagine ductæ
Barbara Sidoniæ ſubeunt connubia matres.
Æthiopem nobis generum, Naſamona maritum
Ingerit: exterret cunabula diſcolor infans.
His fretus ſociis ipſo iam principe maior
Incedit. Peditum præcurrunt agmina longè,
Circundant equitam turmæ, regéſque clientes,
Quos noſtris ditat ſpoliis. Perturbat auita

Quémque domo, veteres detrudit rure colonos.

Ecce deſcriptam habes tyrannidis idæam, cuius meritò damnati fuerunt illi, quos modo nominaſti, auaritia, crudelitate, luxu ac libidine perditi. quid in principe tua ſimile reperiſti? Quid in ea tam repræhendere potes, quàm quod effuſa beneficentia ac liberalitate, ſe quibus potuit commodis omnib⁹ ſpoliauerit, vt ciuium amorem atque beneuolẽtiam demereret? Quis vnquam beneficij ab ea repulſam tulit? Quantis ſpurium illum, quantis Mortonium auxit honoribus? Quot prædiis locupletauit? Sibi vim attulit, vt viperam illam eniteretur, vt regno inhiantem velut Amaltheæ cornu ſatiaret, vt benignitate atque munificentia iugulo ſuo flecteret imminẽtem. Quid vnquam à quoquam exegit? Quid vnquam tributi nomine præter regni morem & patriæ conſuetudinem, quid vnquam oneris irrogauit? Niſi forte ſemel in vita ſpurij conſilio atque ſuaſu, vt ab eo ſuorum animos auerteret, populo vniuerſo vix decies mille numûm imperauit. Quod quanquam re ipſa modicum erat, magnorum tamen malorum cauſa fuit, & hoc initio ciuium odium in dominam nihil inde mali ſuſpicantem exardere cœpit. Profer igitur nunc in ea ſordium & auaritiæ teſtimonium,

profer iudicium aliquod, ſi potes, alioqui tyrannidem eius mihi non argueris. Tyrannũ enim mendicum ſemper & inexplebilem eſſe neceſſe eſt, ait Plato.[19] Ariſtoteles, quem tu nunc ſequeris, nunc aſpernaris, tyrannidẽ vnius dominationem eſſe definit,[20] ad ſuum quæ agit omnia commodum referentis. Rectius illa ſibi conſuluiſſet, ſi auarior, quàm liberalior, eſſe maluiſſet, nec ſe copiis atq; facultatibus iis exuiſſet, quibus euecti perduelles nimis bene merenti crudeliter inſultarũt. Tu verò, qui tyrannidis ream agis, eam ſuis tantùm commodis obnoxiam animaduertiſti? aliquam in ea rapacitatis & auaritiæ notam obſeruaſti? At, inquies, crudelitate, luxu, & libidine tyrannis agitur magis quàm habendi cupiditate. Nam & immaniſſimi quique liberaliſſimi fuerunt. Sed profer harum rerum exempla. Cui per vim manus intulit? Cui clam molita eſt necem? Cui damnum, cui noxam iniuria procurauit? Perdidit illam ſua lenitas & clementia. Tyrãni cum voluptate ſęuiunt: illa ne ex cauſa quidem & neceſſitate crudelis eſſe potuit. Quoties enim perduellium manibus ſicam illam extorſit ſuo iugulo deſtinatam? quoties apertam vim, quoties occultas vitauit inſidias? Ecquem omnium vlta eſt legibus? Ecquem ferro perſecuta?

[19] Lib. 9. de repub.

[20] Lib. 2. polit. cap. 5.

ſecuta? Quoties illi ſcelerum conſcientia fracti, quoties iudicio ſuo dānati ad hoſtes profugerunt? Quoties illa perfidiam, quoties iuſta ſupplicia cōdonante reuocati? Sed ea ſiue lenitas, ſiue mollities animi, deploratæ nequitiæ conniuens, tyrannidis illi conflauit inuidiā. Nec iniuria. Nam rectè ſtoicus ille, [21] TAM OMNIBVS IGNOSCERE QVAM NVLLI CRVDELITAS EST. Proditores impios, opinione omnium furcæ mancipandos, ſemel atque iterum famæ fortuníſque reſtituit. Hanc tu crudelitatem laudas: ſed ne laudes omnino, diuerſum probri genus cōminiſceris, non tu quidem, ſed illi coniurationum omnium coryphæi, quorum tu conſiliis & machinationibus adhæres. Nam illorum mendaciis & cōſiliis, haud aliter ac manifeſtæ veritati, calculum apponis. Dominæ mariti cædem imputarunt impij ſycophantæ, quorum execrabili mendacio tu nō modò patrocinatus es, verumetiam contra ius fas in crimen ſubſcripſiſti, ac infami illa declamatione paricidij ream egiſti. Quid ſi peregiſſes? Quid ſi perſuaſiſſes id ſenatui populóque Londinenſi, geſtienti nimio gaudio, & cupidiſſimè tragœdias veſtras audiēti? Proptereáne tyrannidis in eam conſtitui iudicium potuiſſet? Sed accuſationi luxū re-

21 Senec. lib. 1. de clem. cap. 2.

ginæ,ſed libidinem adieciſti? Nihil horum. Sed infinitis aliis criminibus tyrannidem arguiſti?quibus tandem? Sed flagitium ſcelere cumulaſti? Cumulaſti ſanè quidquid id erat ſceleris flagitio tuo,non reginæ. Nam id flagitij quod obiectas, nunquã illius admiſſum fuit impudicitia, ſed impudentia veſtra confictum & excogitatum. Non potuit aliã ſpurius tuus rationem inire, qua infantulo principi ſtatus controuerſiam moueret, niſi matri partus crimen intenderet. Magnam verò habet illa numini gratiam,

Laudata eſt ſimili prole puerpera.

Sed ſpurio tuo regnandi gratia ius,fas violãdum fuit,ac neceſſario mẽdacio conatus improbi ad eum,qui ſecutus eſt, exitum prouehendi. Parum abeſt quin aperiam,quod amicum cælare, quod diſſimulare non poſſum, illo te improbiorem videri, qui non es mentitus in dominam, vt ipſe regnares, ſed alterius ambitionem, atque tyrannidem patrocinio tuo promouere ſtuduiſti. Quid ſi flagitium illud veritate niteretur? Quid ſi paricidium flagitio cumulatum eſſe fateamur? Nã ne hoc quidem tyrannidis vocabulo notandum erit, [22] nec inde quidquam argumenti ſuppetet, vt optimam alioqui principem, & moribus ſuauiſſimis, ac mitiſſimo ingenio

[22] Bartol. in tract. de tyrannia.

præditam Caligulis & Neronibus exæques.

Nam vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt,
Qui minimis vrgetur.

Ecquis vnquã ita bene ſubducta ratione ad vitam fuit, ecquis ita bene vel à natura informatus, vel arte compoſitus, vt nihil hominũ reprehenſioni, nihil odio numinis & offenſioni reliquerit? Ecquæ ſpecies ita pulchra corporis exiſtit, vt nullum in eo næuum reperias? Bene ſapiens ille omnibus malis punicis aiebat granum aliquod ineſſe putre. Intuere maiorum noſtrorum imagines, regum omnium hiſtoriam animo percurre, annales omnium gentium excute memoria, ecquis omnium ita virtutibus abundauit, eũ vt omni vitio eximere queas? Rurſus animo complectere Nerones, & id genus principũ monſtra, quem omnium ita damnaueris, vt à turpitudine, probro, dedecore, nulla ingenij dote, nullo virtutis exẽplo, nullo cæleſtis gratię talento redimatur? Vides ergo quam ancipitis negotij ſit de principe ſtatuere, quãti momenti regum famam rumore ſiniſtro vellicare, quãtę temeritatis & audacię de vita fortuniſq; ſummi magiſtratus ſententiã ferre. Nũquã ſatis laudaueris Perſarũ illud, quod modo retulimus, inſtitutũ, qui velut ad Critolai libram crimina exigebãt, virtutibus ac rectè

factis in altera lance poſitis: neque pœnam ciui,neq, mulctam irrogabant,niſi mala quæ in eo reperiſſent,bonis præponderarent.

CAPVT 5.

SEd progrediamur vlterius, largiamur tibi quod probatum velles, quod vulgo facile fuerit perſuadere, ſapientibus hominibus & doctrina legum, ac rerum vſu peritis, ſuda quantum voles, nunquam in animum induxeris: iure ſupplicium de Neronibus ſumptũ: illis Scotię regem non modo parem,verumetiam immanitate,luxu, nequitia deteriorẽ. Quid inde? fidem nugis factam, concluſum ratione quod propoſueras, effectum quod inſtitueras arbitraris? Eodem iure cenſendũ Romanum principem & Scotiæ regem autumas? hac tu ſi opinione duceris, toto erras cælo, totáque terra. Nam vt illi Romanæ ditionis principes fuerint, non fuerint tamen regibus noſtris imperio & poteſtate pares. Licuit in illos aliquid *S.P.Q.* Romano: nihil in hos licitum eſt ſenatui populóque Scoto. Illis definita in populum poteſtas erat: his libera ac ſumma. His merũ ſemper fuit ac ſolutum: illis ex alieno nutu pendebat imperium. Horum dominatio, regnum: illorum,

principatus appellatur. Hi ſemper monarchę fuerunt: illi principes duntaxat reipub: id eſt, quibus nō omnes, vt noſtris regibus, ſed primæ tantùm in repub. partes deferebãtur. Ac ne commentitium hoc eſſe putes, auctorem tibi meum laudo Suetonium Tranquillum,[1] qui non multum abfuiſſe dicit, quin Caligula ſtatim diadema ſumeret, ſpeciémq; principatus in regni formam conuerteret; regibus qui officij cauſa in vrbem aduenerant, apud ſe ſuper cœnam de nobilitate generis concertantibus. Principatum vocat ariſtocraticam vel democraticam reipub. formam, cui prǽerat vnus ſingulis ciuibus prior, inferior vniuerſis. Quid verò quod idē Suetonius non in imperatore, ſed in conſulibus ſummam poteſtatem fuiſſe ſignificat?[2] Talis erat Etruſcorum illa reſpub. poſt initum fœdus cum Tarquinio Priſco rege Romanorū, cuius ea lex erat, vt nihil de patriis inſtitutis innouaret, nihil præſidij vrbibus imponeret, vitæ necíſq; poteſtas penes populum Etruſcum eſſet, ciuitatum principatus penes regē Romanum.[3] Erat ergo Tarquinius Etruſcorum princeps, id eſt, primus, in comitiis ordinum, & in omni reipub. ratione, ſed poteſtas omnis imperij, & rerum ſumma in populo reſidebat. Eadē conditione cenſeri debet

[1] In Caligula. cap. 22.

[2] In Calig. cap. 26.

[3] Florus & Dioniſi. Halicarn. lib 3.

Lacedæmoniorũ ariſtocratia, ex duobus regibus, quinque ephoris, octo & viginti ſenatoribus compoſita. Inane regum nomẽ erat, niſi quod forte primi ſententiam rogarẽtur. Maior enim poteſtas erat illis nulla quàm cęteris ſenatoribus,[4] ex quo tẽpore Lycurgus duobus Heraclidis relicto regũ dũtaxat nomine, in populum ius imperij publicæq; moderationis omne tranſcripſit. Sed poſt centeſimum annum populo in ordinem coacto, Polydorus & Theopompus ſenatum in eam poteſtatem vnde vi deiectus erat, oraculi iuſſu reſtituerũt. Regum autem poteſtas ephoris erat obnoxia, non aliter ac Romanorum conſulum tribuniſplebis, à quibus nõ modo pecunia quoſdam reges, verumetiam capite mulctatos fuiſſe didicimus.[5] Ex quib⁹ intelligi poteſt Lacedæmoniorum reges nõ modò noſtris imperio pares, ſed ne reges quidẽ fuiſſe, ſed principes tantum ſenatus, aut exercituum duces. Olim hoc iure vixêre Galli, cũ ſub regulis agebant, quod Ambiorigis illa teſtãtur apud Cæſarem,[6] ſua eſſe eiuſmodi imperia, vt non minus haberet in ſe iuris multitudo, quàm ipſe in multitudinẽ. Quibus verbis ſignificatum voluit Ambiorix, ſe dignitate ſuperiorem ſingulis, ſed vniuerſorũ decretis obligatum. Non igitur Eburonum rex

4 Dioniſ. Halicar. lib. 2. Plutarch. in Lycur. Lyſandro Ageſilao & Cleomene.

5 Pauſani. lib. 4.

6 Lib. 5. de bell. gall.

erat Ambiorix, ſed princeps. Quod planius intelligi poteſt ex eo, quod eſt apud eundem Cæſarem,[7] Celtilum, patrem Vercingetorigis Aruerni, principatum Galliæ totius obtinuiſſe, & ob eam cauſam, quod regnum appetebat, ab ciuitate interfectum fuiſſe. Aliud ergo principat⁹ erat, aliud regnũ: aliud princeps, aliud rex. His accedit ariſtocratica Venetorum reſpublica, cuius princeps non regis, ſed ducis nomine, viuit iis ferè legibus, quibus cæteri ciues: neque ſtatuere quidquã poteſt, niſi vel ſex minimùm, vel decem viris in conſilium adhibitis: ac tantũ abeſt à ſumma rerum poteſtate, à mero mixtóve imperio, vt ne vocationem quidẽ habeat, infimæ iuriſdictionis notam. Dux Falerius quòd inconſulto ſenatu peregrinam duxit vxorem, capitali iudicio dãnatus eſt ad furcas. Quin & alij duodecim Venetorum duces, quod ex patrum conſilio minimè remp. geſſiſſent, temeritatem ſuam capite luerunt.[8] Principatũ igitur appellemus licet illud reipub. genus, non monarchiam. Eadem eſt imperij Germanici ratio. Nam ex quo tempore ſeptemuiralis electio locum habuit, vnius imperium in ariſtocratiã degenerauit. Quo factum eſt, vt hodie Germanorũ imperatores, minimè rerum ſummam, ſed principatum tantùm

7 Lib. 7. de bell. gall. in princ.

8 Sabellicꝰ

obtineant, ſeptemuiris electoribus, quos vocant, trecētis plus minus principibus, ac imperialium vrbium legatis, vltima iuriſdictione reſeruata, & iure maioris imperij, quo non tantùm creandi, verumetiam abdicādi principis, ac puniēdi poteſtas continetur. Teſtes Adolphus & Venceſlaus ordinum iudicio principatu moti. Hodie Cimbrica Cherſoneſus & Sueuia, neſcio quo iure, qua iniuria, hac reipub. forma ſe venditant, regibus ſuis procerum aliquod libidini mancipatis. Talis igitur initiò ſub Cæſaribus erat Romanæ reipub. forma, vt in eos S. P. Q. Romano licuerit animaduertere, quod certè minimè omnium licuiſſet, ſi monarchæ fuiſſent poteſtate ſumma & imperio præditi. Scotorum regū longè diuerſum ius eſt, quibus capita fortunæque ciuium ſunt obnoxiæ, cum ij nulla conditione populo teneantur, nec ſuperiorem vllam præter ſolius numinis poteſtatem agnoſcant. Eodémque iure ſuis regibus adſtricti ſunt Galli, Angli, Hiſpani, Luſitani, aliíque permulti, quorum res rationéſq; omnes ita regibus addictæ ſunt, vt ne volentibus quidem populus, in vllam ſupremæ poteſtatis & imperij ſocietatem admitti queat. Ea ſiquidem eſt monarchiæ natura, vt ſine hoc imperio conſiſtere non poſſit, quod nec

diuidatur,nec cõmunicatione cum alio profanetur.[9] Id euincit ipſa verbi notatio,id regni definitio, id maieſtatis vocabulum, regum,non populi,proprium. Atque adeo regum propria eſt hæc poteſtas, vt eius particulam vllam citra maieſtatis crimen, nemo ſibi poſſit arrogare.[10] Magiſtratus omnes cũ in prouinciis agunt, quia regis perſonam ſuſtinent,faſcibus vtuntur,& lictoribus, mandatæ iuriſdictionis inſignibus. Vbi verò præſto rex eſt, ſubmiſſis faſcibus auguſto cedunt imperio,eam perſonam, quam in prouinciis agunt, precariò ſibi impoſitam agnoſcentes, non à populo,quem ſuis decretis obnoxium habent,ſed à rege, quem ſuum, quem populi dominum eſſe intelligunt. Adeo verò ditionis omnis expers eſt populus, vt nec rex in maximis omnium ordinum,nec magiſtratus in prouinciarum comitiis, quidquam ei deferant, nedum faſces amoueant. Quæ cum ita ſint,quo iure populus,qui neque vocationem, neque præhenſionem habet, de regis capite cognoſcet? Si populus Romanus hac conditione principes habuit, ab eo Nerones iure vllo cæſos fuiſſe nunquam homini iuſta & æqua ſentienti probaueris. Sed hæc pòſt fuſius,nunc pergamus ad reliqua.

9 L.3.C.de præſcrip. quadr.ca. imperiale §.præter. de prohib feud.alienat.Alciat lib.2.parad.cap.6. felin. cap. quæ in eccleſi.de cõſtit.col 11. Bald. in cõſil.363. Iaſ. in authẽt. quas act. C. de ſacroſ.eccle.Carol. Molin.in conſuetu. Par.tit.1. §.2. gloſſ. 4.

10 L. ſacri afat.C.de diuerſ.reſcript.

CAPVT 6.

pag.9. HVmanæ Societatis originem à natura petis: aſſentior. ſed poſitam à te naturæ definitionem aliam malo, quàm lucem ãnimis diuinitùs infuſam, ſi modò perſtas in eo quod paulò antè dixeras, eam naturę conditionem non hominibus modo, ſed manſuetioribus etiam aliorum animantium inditã, qua cũ ſui generis animantibus libenter cõgregantur. Nam belluis hanc diuinę particulam auræ tribuere, vt inter ſe iuſtitia, religione, fide coëant, profanæ ſapientiæ, ne dicam Chriſtianę, legibus aduerſatur. Sed hęc actio non eſt huius fori, nunc tantum hoc agitur, vt Scotorum regum auctoritatem tuis anno ſuperiore ſcriptis interturbatam retinendæ poſſeſſionis interdicto conſeruemus. Nam tu multitudinem eò tumultuatum introduxiſti, nos poſſidenti regi vim fieri vetamus, cui non triginta, vel quadraginta annorum, ſed multorum ſæculorum præſcriptio, ſecuritatem præſtare debet imperij. [1] Quid huic rationi reſpondebis tu, qui Romanis legibus imperij vim omnem & poteſtatem attribuis? Nam præſcriptionis iſta lex eſt, omnium penè gentium moribus vſurpata, cuius auctorẽ Theodoſium Valẽtinianus, optimus imperator, vt eum vocat Sozomenus, [2] & apice principali digniſſimum, ait humano generi

[1] L.3.& 4. c. de præſcript.30. vel40.ãn. l.hoc iur. §.ductus aquę d.de aqua quotid.& æſt. L.1. de aqua plu. arc.

[2] Hiſt.tripart.lib.7.

profunda quiete proſpexiſſe. [3] Quam legem Caſſiodorus vir conſularis, & qui non in ſophiſtico puluere & vmbra, ſed in clariſſima reipub. luce vitam egit, humani generis patronam appellat, vetantem ne tot annorum poſſeſſio cuiquam moueatur. Hanc tu legem eludi putas Platonica ſimilitudine, nec aptè, nec eleganter ad eam rem quam inſtituis accõmodata. * Ciuitatem corpori noſtro perſimilem videri vis, mot⁹ ciuiles morbis, medico regem. Vtinam hîc in Platonis ſententia conquieſceres, cui quanquam auditum nunquam fuit Scotiæ nomen, nec his temporibus leges tulit (quibus longè ſecus ac olim conſtitutæ ſunt reſpublicæ) ſed Græcorum moribus ac inſtitutis ferè cõſentaneas, non tamen ita regibus noſtris iniquus eſt, vt eos imperio ſpoliatos inſanæ multitudinis libidini ſubiiciat. Nam ille adeo non moratur in ferendis legibus, vel abrogandis, populi ſuffragia, vt quemadmodum medicus ęgro vel nolenti remedia præſcribit, & vel vrendo, vel ſecãdo, quamuis repugnantem & infeſtum curat, ſic nec regem ex multitudinis arbitrio pendere iubet, [4] ſed vel reluctãtis & inuitæ ſalutem procurare. Tu verò legũ vinculis conſtrictum habes regem, quarum ſummã illi multorum capitum belluę defers.

3 Nouell. Valentin. de 30. ãn. præſcrip.

* pag. 12.

4 In politic.

Sed vide quàm abſurdè. Æger medico morbi remedia præſcribit, an medicus ægro? Atqui medico regem, ægrum populo comparas, medicamentis leges. Quid ſi medico curandi rationem dictaret æger? Quid ſi eò neceſſitatis adigeret, vt abs ſe medicinæ faciẽdæ leges acciperet? Quid ſi veteris morbi deliria valetudini ſuæ reſtituendæ medico decerneret? Exclamaret Æſculapius frontẽ de rebus periiſſe: hoc cum natura pugnare, nec ſalutis illi ſpem vllam eſſe reliquam. Ecquis enim hac conditione medicus inuiſeret ægrotantem? Eodem planè modo res habet in ciuilis vitæ ratione. Ecquis mortalium ita ſibi inuiſus eſt, quis omnium adeo ſe ſuáque faſtidit, vt ea lege regni curam ſuſcipiat, non vt dominetur multis vnus, ſed vt multorum legibus vnus obtemperet? non vt præſit, non vt imperet, ſed vt perpetuam ſibi parẽdi neceſſitatem imponat? nõ vt legem populo dicat, ſed à populo legem accipiat? Iſtud verò

Non ſani eſſe hominis non ſanus iuret Oreſtes.

Non is perinde facere videretur, ac ſi medicus ægrotantium turbam, nulla certa ſcientia, ſed ex ipſorum effrenata cupiditate curaret, ac veluti ſtomacho ſuo viuere permitteret? Neque enim hoc eſſet regnare, ſed regi. Rectius Plato legum lationem regiæ pote-

ſtatis atque muneris partem eſſe profitetur.[5] Populus enim ſemper æger eſt, ſemper inſanus, ſemper furore & intemperiis agitur. Eóque ſapientiſſimus ille vir, tantum abeſt vt in ferēdis legibus populi conſenſum expectet, vt ſi regi vel nouam promulganti, vel antiquam abrogāti legem, ſponte nolit obſequi, multis pœnis, vi cogendum eſſe dicat. Quod ſi omnes omnium ætatum reſpublicas animo recenſeas, omnia regna cogitatione perluſtres, hoc ſemper in politica ratione receptum axioma reperies, penes eum poteſtatem omnem eſſe legum, qui ſummam habet imperij. In regno cum vnius omnia ditione teneantur, quo iure multitudo poteſtatis huius vllam ſibi partem arrogabit? Sed tu multitudinis ſummum eſſe vis imperium, populum rege ſuperiorem facis. Quo tandem igitur modo regiæ dominationi obnoxius aget? Quibus mulctis, quib⁹ pœnis, qua vi cogetur legibus acquieſcere? Si Platonem audias, obediendi neceſſitas incumbit, & vel ſponte, vel inuitus leges à rege poſitas amplectetur. Si ſuperior eſſet, à rege cogi non poſſet. Par enim in parem non habet imperium,[6] nedū inferior in ſuperiorem. Et antiquis Romanorum inſtitutis maius imperium à minore rogari ius non erat.[7] Equidem tibi gratulor,

5 In politic.

6 L. minor. d. de min. L. nā magiſtratus. de recept. arb. L. ille à quo. §. tēpeſtiuū. ad Scōſultum Trebell.

7 cicer. lib. 2. Epiſt. ad Attic.

ſi Platonis ſententia, cuius in hoc dialogo plurimum rationibus vteris, vinci te patiare. Sed redeamus ad inſtitutam medici cum rege comparationem. *Æger, inquis, quem vult medicum adhibet, repellit cùm lubet, ſic populus, in cuius optione fuit initiò ſibi reges imponere, tyrannidis iniuria, & tædio prauæ moderationis affectus, imperio regem exuet, carcere, vinculis, morte multabit, & arbitratu ſuo quemcumque volet alium ſibi præficiet.* Id enim ei vel optimo iure fas eſſe putas. Quid verò ſi negem, quod tu pro cōfeſſo paſſim inculcas, ac velut extra controuerſiam poſitum, huius ſcientiæ tuæ principium ingeris, reges initiò populi ſuffragiis electos? Quoniam verò in huius rei mentionem incidimus, etiam atque etiam expediēda videtur priuſquam aliò diuertamus.

CAPVT 7.

[1] Lib. 3 polit.

EAm Ariſtotelis opinionem fuiſſe video,[1] vt regna populi ſuffragio conſtarent, qui heroum temporibus ita regnatum eſſe ſcribit, vt reges ſacerdotum, iudicum & imperatorum partes obirent: cæterum barbarorum eſſe legitima generis ſucceſſione reges habere qualeſ ſors tulerit, non virtutis opinione populo probatos. Vide Buchanane

ne peius de diſcipulo meritus fuerit, quam tu de tuo. Nam Alexander ille magnus Heraclidarum iure Macedoniæ regnum obtinebat, quod magiſter barbarico mori ac legi tribuit, ac, ſi ſcriptis conſentanea ſentit, legitimo hęredi ademptum multitudinis optioni permitteret. Barbari fuerunt igitur Perſæ, quorum neque conſilia, neque res geſtas Athenienſes ipſi damnarunt. [2] Barbari fuerunt Ægyptij, barbari totius Aſiæ populi, quos ex omni hominum genere conſtat humaniſſimos fuiſſe. [3] Ac ſi paucos Græculos exceperis, Ariſtotelis iudicio barbari fuere cæteri mortales, ac nationes illæ politiſſimæ, quæ legum, quæ doctrinæ, quæ humanitatis ac ſcientiarum omnium fontes Græcis ipſis aperuerunt. [4] Quin & ipſe barbarus fuit Ariſtoteles, qui regi barbaro ſi non ſeruiuit, ſtipendio certè meruit. Barbari fuerunt ipſius populares, Athenienſes, Lacedæmonij, Sicyonij, Corinthij, Thebani, Epirotæ, Macedones, cæteríque Græci, apud quos longè pluribus ſæculis regium viguit imperium, quàm populare. Nam apud alios ſexcentis, apud alios ſeptingentis, apud alios pluribus, apud alios paucioribus annis, non optione populi, ſed naſcendi conditione regnatum eſt, quoad mores ambitione

2 Anacharſis in Epiſt. Athenienſi. ſcript.

3 Cicer. Epiſt. 1. lib. 1. ad Q. fratr.

4 Ioſep. lib. 2. aduerſ. Appionē Alexand. Theodor. de græc. affect. curat.

corrupti nõ tam ad populare genus imperij, quàm ad anarchiam deflexerunt. Nam ſi veteres totius Græciæ populos animo perluſtremus, vnum inueniemus Timondam, qui Corinthiorum, & Pittacum, qui Mitylenęorum ſceptra populi ſuffragiis obtinuit. Barbaros appellare debemus Ariſtotelis ſententia Parthos, Aſſyrios, Medos, Indos, Affricanos, Tartaros, Arabes, Æthiopes, Numidas, Moſchouitas, Celtas, Hiſpanos, Gallos, Anglos, apud quos perpetua generis ſucceſſione regnatũ eſt. Barbari fuêre Latini, Etruſci, cæteræque nationes omnes, præter vnã Sauromatarũ, apud quos populari libidine fertur agitur imperium. Sed quid ſi damnato tecũ Ariſtotele, populo ne interpellato quidem, quid ſi nolente, prima omnium regnorum conſtituta fuiſſe, ac ſubactam iugo libertatem euicero? Nam ſi veterum hiſtoriarum monumenta cogitando repetere vellemus, & antiquiſſimorum annalium fidem ſequi, nullus controuerſiæ locus relinquetur, quin vetuſtiſſima regum imperia fuerint, non ambitionẽ populari, nec ſpectata inter bonos moderatione, ſed vi primũ & armis quæſita, deinde ad poſteros hæreditario ſanguinis & agnationis iure tranſmiſſa.

Nam terræ dominos Pelagique futuros

immenſo

immenſo decuit rerum de principe naſci. 5.
Teſtes huius rei nominare poſſem locupletiſſimos, Beroſum Chaldæum, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Diodorum Siculum, Plutarchum, Ioſephum, alióſque permultos haud vulgaris notæ ſcriptores, quorum fides Ariſtotelicæ fabulæ teſtimonium eleuabit. Sed vt his omiſſis prophetarum oracula conſulamus, omni exceptione maiora, Nembrodus ille primus omnium regum, vi potitus eſt imperio, quem ea de cauſa robuſtum venatorem coram deo ſacræ vocant literæ, 6 ſuo quodam loquendi genere, id eſt, bellatorem, cuius tamen dominationẽ deo probatam fuiſſe ſignificant, & numinis auctoritate conſtitutam. Hic igitur Babylonicæ monarchiæ fuit auctor, quam omnium primam extitiſſe Xenophõti, profano ſcriptori, diuinæ vocis oracula ſuffragantur. Pòſt in oriente Ninus bello rerum potitus eſt, qui magnitudinem quæſitæ dominationis continua poſſeſſione firmauit. 7 Ab Aſſyriis ad Medos & Perſas tranſlatum eſt imperium, quo tandem modo? populorum conſenſu, an armis? Perſas rerum ſumma deiecit Alexander. Romulum populus ad regnandum inuitauit, an populi multitudine Romulus vnum in locum aggregata regnũ inchoauit? Quid

5 Claudian de 4. conſ. Hon.

6 Geneſ. cap. 10.

7 Iuſtin. lib. 1.

plura?populi ſuffragiis potētiā adept⁹ eſt ille,

Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?

Cùm verò noſtræ gentis originem intuemur,haud vnum multi,ſed inſtituto Romuli multos vnus elegit, quibus Ægypto profugus imperaret. Verùm hic non ſuum nobis, vt RomulusRomanis,ſed vxoris nomen impoſuit. Hodie verò Gathelicæ tãtum linguæ vocabulum, ab auctore gẽtis noſtræ Gathelo,remanſit. Quod ſi præſentem Scotici regni conditionẽ ſpectemus,nec ab ouo quod dicitur,eius initia repetamus, Picticæ ditionis acceſſione Kennethus rex non protuliſſe fines imperij, ſed regnum inchoaſſe videbitur,ac virtute bellica peperiſſe, quod antè nullum erat, ſi cum incremento illo contẽdatur. Fuſis enim, fugatíſque Pictis, Fifam, Laudoniam,Merniam,Anguſiam, Merciam fœcundiſſimas,atque optimas regni prouincias,atque eas regiones omnes,quæ Annandia, Tueda,Cluda fluminibus alluuntur, imperio adiecit. Quibus qui præeſt,cum Scotię regem dicemus, etiamſi regno deſint ea quæ Kennethi maiores obtinuerũt. Confer enim cum his prouinciis id quod ſupereſt Scotiæ, horridum &incultum ſolum,pauculas arces, raras vrbes,inſulas habitatore vacuas,deſerta promontoria, villas infrequentes ac in-

formes, teſqua denique ſitu & ſilentio ſacra, & quod ait ille,

Raris habitata mapalia tectis.

Vt autem intelligas nihil in hæc Scotico populo fuiſſe iuris, ſed fiſco ceſſiſſe omnia, rex arbitratu ea ſuo proceribus quibuſdam erogauit, vt penes eos, eorúmque poſteros, prouinciarum dominium eſſet, penes ſe poteſtas & imperium. Redi iam ad annales, omnes à Kennetho reges animo complectere, ecquẽ omnium multitudinis optione creatum inuenies? Ecquis omnium à populo poteſtatis aliquid aut iuris accepit? Peſtifera patriæ fuit illa Bruſij de regno cum Balliolo controuerſia, quam Edoardi Angli arbitrio decidi neutiquam tuliſſet populus, ſi vel creandi regis ſuffragio niti potuiſſet, vel adminiſtrandi regni modum præſcribere. Quid verò quod patriæ libertatem Anglo proditam idem Bruſius armata vi reſtituit? Ad Bruſium agnationis iure pertinebat, imperium, quod in Angli verba iurato populo, quod repugnante, quod inuito, iuuante Scotiæ genio, tandem victricibus armis obtinuit. Id ille, cum naturæ concederet, tanquam patrimonium optimo iure ſuum, hæredibus reliquit, quos nunc impij paricidæ non alio quã cæteros populares ordine cenſeri volunt.

Regum ille fortiſſimus in populum libertatis auitæ proditorem ſibi ſuiſque perpetuum imperium ſtabiliuit, quod nunc pauculi prædones illius ereptum ſoboli diſcerpendum, aut verius, denuò prodendum hoſti curant. Sed Bruſij ſoboles longo ſæculorum interuallo populum ſacramenti reum habet, quo ſuffragiorum illi ius omne ſublatum eſt. Neque tamē inficias iuero, prudēter ab eo cautum, vt ſi quando regni ius cōtrouerſum foret, nec certus extaret hęres, ſtirpe regia deficiente, tum procerum ſentētia res componeretur: is regnaret, quem illi regio ſanguini proximum eſſe pronunciarent. Sed nihil ea lege populo poteſtatis attribuit, nec multitudinem ad arma vocandam cēſuit, ſi qui procerū iudicio minus acquieſcerent, ſed Chriſtianiſſimum Galliæ regem eius rei diſceptatorem eſſe iuſſit, ad quem confugiendum ſit illi, cui procerum ſententia regnum adiudicaretur. Eam enim Gallico fœderi legem addiderat, vt Galliæ rex Scoto, Scotus Gallo, cui rebus in controuerſiam adductis magnatum iudicio regnū deferretur, ſuppetias iret, atque non auxiliaribus tantum copiis, ſed & præſentia ſua, ſi res ita poſceret, alter alteri laboranti vim & iniuriā fieri prohiberet. Quod ratum poſteris fore ſacroſanctę ſynaxeos cō-

munione ſanxerunt, ſolenníque iureiurãdo, cui Romani pontificis auctoritas intercederet, vt eo nec ipſi, nec ipſorũ poſteri per pontificem eiúſve poſteros vlla conditione liberari poſſent. Quid diſſimulas? tibi notiora ſunt iſta, quam mihi. Neque enim ita rerum ignarus es, vt neſcias nõ modo perſonas omnium regibus obnoxias, ac veluti mancipio nexúque teneri, verumetiam res omnes popularium, atque fortunas ita regum eſſe proprias, vt vſu duntaxat, ac fructu ſingulorum eſſe videantur. Quod Vilielmus ille notus, Neuſtriæ regulus, armis Angliæ regnũ adeptus, præconis voce promulgauit, ſua eſſe omnia mobilia atque immobilia, vt cum vulgo loquar, quanquam eorum portiuncula quadam ſeſe continuit, dominióque prædiorum directo, quod noſtri vocant, reſeruato, libertatem hominum fide tantum & obſequio clientelarũ lege ſibi deuinxit. Carolus quintus imperator noſtra memoria partem quãdam occidentalium inſularum, veteribus ignotam, nobis Americæ vocabulo non ita pridem auditã, vi ſubegit, victis ſua reliquit, non mãcipio, ſed vſu, nec eo quidem perpetuo, nec gratuito, ac immuni (quod Anglis obtigit Vilielmi nothi beneficio) ſed in vitæ tempus annuæ præſtationi certa lege loca-

tionis obligatâ. Omitto priſca illa Medorum
8 iura, quorum inter cætera laudibus aſcribit
Xenoph. ſummus ille vir,[8] quod vnius & res omnes &
in Cyripæd. perſonæ dominio tenerentur. Omitto vete-
9 ra Perſarum inſtituta, quibus honori & glo-
Dio li. 57. Xiphilin. riæ ducebatur regum eſſe mancipia.[9] Miſſa
in Adrian. faciam Æthiopici regis,[10] quem presbyterũ
10 Franciſ. Iohannem vulgo dicimus, miſſa Turcarum
aluar. in imperia, quibus maximi magiſtratus ad prin-
hiſt. æthi. cipis nutum atque libidinem, ſeruorum in-
ſtar, indicta cauſa, flagris, fuſtibus, virgis, neci
denique mancipantur. Nos mitiora regno-
rum exempla delectant, ac liberis hominib'
haud indigna. Neque tamen illa, quantum-
uis ſeuera, tyrannica videri debent, aut natu-
ræ contraria, quanquam vnum aliquem for-
tunæ beneficio ſuperbientem cum aliena ia-
ctura locupletarunt, & libertatem nobis ade-
merunt, hominum naturæ maximè conſen-
taneam. Alioqui nec ſeruitus vlla iuſta vide-
retur, nec hoſtium ſpolia noſtri mancipij fo-
11 rent, nec quidquam eſſet inter hoſtem & la-
L. manumiſſiones tronem, inter iuſtum bellum & latrocinium
& L. ex diſcriminis. Quæ iure gentiũ diſcreta ſunt,[11]
hoc iure. ac non tantum humanis legibus, id neceſſi-
D. de iuſtit. & iur. tatem rerum exigente, verumetiam diuino-
12 rum exemplorum teſtimoniis approbata.[12]
Geneſ. 14. & 28. Nam & ſeruitutis iugũ iniuria deponitur, &

iuſtiſſima bella ſunt, cum repetitis rebus geruntur, & antè denunciata ſunt & indicta,[13] & vt olim fœciali populi Romani iure præſcriptum erat. Et quę ab hoſtibus capta ſunt, optimo iure noſtra fiunt.[14] Quid verò quod regnorum quædam nec vi parta ſunt, nec ſuffragiis emendicata, nec popularium iudicio aut voluntate conſtituta? Vrbium conditores earum ſibi retinuerunt imperia. Quę certè vel in primis & antiquiſſimis haberi debent.[15] Auguſti benignitate Iuba Numidiæ regnum obtinuit. Gallis olim Neapolitanũ & Siciliæ regnum dono datum eſt. Romanis Ægypti, Bithyniæ, Pergami, & Aſiæ regna teſtamento relicta. Magis neci datis Perſarũ imperium Dario ſors adiudicauit. Alij technis & aſtu, populo nec vetante, nec annuente, ad tantæ maieſtatis faſtigium euaſerunt. Nec his admodum refragatur Ariſtoteles,[16] qui tyrannidis auctorẽ ait eſſe populum, qui magnos viros, & vel virtutibus vel diuitiis abundantes, ferre nõ poteſt. Id quod Epheſiis vſuueniſſe videmus, qui Hermodorum principem ſuũ, quod ſapientia, religione, fide cæteris anteiret, exilio mulctarũt. Eóque morte dignos Epheſios omnes pronũciauit ille Phyſicus Heraclit⁹, vt eſt apud M. Tulliũ.[17] Regũ autẽ dominationẽ idem Ariſtoteles repertã

13 Cicer lib. 1. offic. & L. hoſtes. d. de capt. & poſtlim reuerſ.

14 L. 5. in fin. D. de acquir. rer. dom. L. 5. L. 19. de capt. & poſtlim. reuerſ. L. 1. de acquir. poſſ. § Item ea quæ ex hoſt. inſti. de rer. diuiſ.

15 Ariſtot. lib. 5. polit. cap. 10.

16 lib. 5. poli. cap. 10.

17 5. Tuſcul.

ait ad tutelam præſtantium virorum aduer-
ſus indomitæ multitudinis inſolentiam. Si
aduerſus populum, vt ait ille, hoc imperij ge-
nus introductum eſt, eius certè populum au-
ctorem laudare non debes, qui niſi inſanus
eſſet, vltrò ſeruitutis iugum ſibi non impo-
neret. Non iam animaduertis, Buchanane,
quam ſolidum ſit hoc diſputationis tuę prin-
cipium, quam firmo nitare fundamẽto, cum
tot regna non electione, ſed vel armis, vel a-
18 lio iure quæſita reperiamus? Quanquam au-
L. Iulian. d. ſi quis tem ea vi & armis initio parta fuêre, legibus
omiſ. cauſ. tamen retenta, & iure poſteris tradita nemo
teſtam. L. non intelligit; iure, inquam, non popularium
ſi arrogator. §. ſed ſuffragiorum, nõ Gabinia, vel Caſſia lege ta-
an impu- bellaria, ſed agnationis atq; ſanguinis, quam
beri. de adopt. populus nec abrogare, nec ex ea derogare
19 quidquam poteſt. Eſt enim regia dignitas le-
L. in ſuis gi & naturæ donum, quod extra populi cõ-
de liber. & poſtum. mercium perpetua regni conſuetudo ſtabili-
L. vlt. de uit. [18] Nam rege mortuo proximus agnatus
bon. dam. ſtatim ſuus regni hęres exiſtit, etiamſi minus
L. 1. §. lar- obita fuerint inaugurationis ſolennia. Si ve-
gius. de ſucceſ. ed. rò hęres, ergo & dominus. [19] Neque enim a-
20
Feſt. lib. 8. liud hęres quàm dominum ſignificat. [20] Ac
21 proinde principes cum regni hęreditatem
In panegyr. ad adeunt, haud ſecus ac ſui hęredes, ad propria
Traian. bona venire dicũtur. Et Plinius [21] hoc genus

hęredes bona non vt aliena & ſperanda, ſed vt ſua ſempérque poſſeſſa capere dicit, eoque non adire hęreditatem, ſed retinere videntur,[22] quippe qui iure ipſo, qui lege ſint hęredes, vt nec à parentibus exhęredari, nec à populo queant,[23] præſertim cum eiuſmodi regna ſunt, quæ naſcendi lege, quæ primogenituræ, quam vocant, iure contingunt. Id enim nec tolli, nec mutari poteſt, non tantùm humanis, ſed & ſacrarum tabularum legibus liberorum natu maximo fraudem fieri vetātibus. [24] Nam in principatibus, in regnis & imperiis tota hęreditas maximi natu legitima cenſetur, qua priuari non poteſt,[25] ne ex cauſa quidem ingrati in patrem animi, vt iuriſconſultorū doctiſſimi quiq; diſputant. [26] Nec enim à patre, ſed à lege ſanguinis, à cōſuetudine regni hoc quicquid eſt beneficij accepit, quod nec donari, nec vendi, nec teſtamento relinqui poteſt. Ex quo apparet, quam ingenioſi falſarum tabularum artifices fuerint illi, qui Henrici octaui regis Angliæ teſtamentum, cum tot ſubſtitutionum gradibus in ſuorum hęredum necem excogitatis, in lucem adferre non erubuerunt. Sed neſciebant de regno teſtari non potuiſſe, quamuis eum hęredem inſtitueret, cui regnū iure deberetur. Nec enim vi teſtamenti re-

22 L. ſi patronus. de bon. liber.

23 Bald. cōſ. 360. Benedict. in cap. Raynutius. in verbo, in eodem teſtam. nu. 18.

24 Deuter. 21. Ioſep. antiquit. li. 4. ca. 6.

25 Authent. nouiſſimę C. de in offic. teſt. dd. ad cap. licet. de vot.

26 Bald. ad L. ex hoc iure. de iuſtit. & iur. *Iaſ.* ad L. nemo poteſt de legat. 1. *Iohan.* Andr. ad cap. ſignificaſti de for. comp.

Benedict. loco citat nu.207. Molin. in cóſuetud. Pariſ. tit. 1. paragr. gloſ.3 nû 8.

27 Molin. ibidem.

28 Paul. Æmil. lib.10. hiſt.

gnum adiri potuit, ſed immutabili ſanguinis & agnationis lege.[27] Ante hunc aliquã multis annis Henricus quintus affinitatis ſpecie Carolum, qui poſt eius nominis ſeptimus Galliæ ſceptra moderatus eſt, viuo patre, ſed parum mentis compote, per Philippum Burgundionem, populúmque Pariſienſem non exhæredandum modò, ſed proſcribendum curauerat.[28] Nouo id exemplo factum & inaudito: ſed

Vixtrix cauſa deo placuit. Anglis enim propitio numine fuſis fugatis, in legitimã dominationem Carolus patri ſucceſſit. Sed & hic nõ ita longo pòſt tempore filium natu maiorem contumacem ac rebellem regni ſpe ſubmouere cogitauerat, in eius locum minore ſubrogato. Conſultus Romanus pontifex, eius rei mentionem auerſatus eſt. Religioni habebat pius ille vir, legi derogare tot populorum iudicio, tot ſæculorum obſeruatione receptę. Ianus Galeatius Mediolani regulus ſimulac fati diem inſtare ſenſit, grauiter hanc legem accuſauit, quod duorum liberorum alterius annos, alterius virtuti præferre cogeretur. Iis enim in conſpectũ venire iuſſis, ó duram, inquit legẽ, quæ natalibus ac genere pares hæreditatis diſpari ſorte ſeiungis. Si gentilitij iuris prærogatiua tuliſſet, ſapiẽtiſſimus

ille vir Inſubrię ditionem haud ætati, ſed meritis adiudicaſſet. Quod ſi nec princeps, nec populus ſpem natalitij iuris ac regni agnato proximo regis eripere poteſt, quanto minus hęreditate iam adita priuabit? Neque enim iam hæreditas eſt, ſed proprium adeuntis patrimonium, cuius ei pleno iure dominium acquiritur,[29] non à patre, nō à populo, ſed à lege. Quod igitur vulgo dicimus, nunquā mori regem, abſurdum videri non debet, cū vni vita perfuncto mox alius, haud expectato nec populi cōſenſu, nec procerū, ipſo iure ſuccedat, nō vt patris hęres, ſed vt legitimus populi moderator, ac regni tanquā alicuius latifundii, non optione, ſed naſcendi cōditione dominus. Quo fit, vt demortui facta præſtare quantūuis magna iuriſiurādi religione ſancita, nec æs alienum ab eo cōflatum, niſi quid in rem ſuam & regni verſum eſt, agnoſcere teneatur.[30] Neque enim in ſucceſſione iuris nomina veniūt defuncti.[31] Eóque Ludoicus ille Gallorū regum optimus, & populi parens cum ab eo tormēta bellica repeterētur, Carolo eius nominis octauo commodata, iniuria ſecum agi, ac hęredem ſe non eſſe Caroli reſpondit. Rectè quidē. Neque enim Caroli teſtamento, non edicto, non ſenatuſconſulto, plebiſve ſcito, non alicuius liberalitati

29 dd. ad L. hęredes, D. de acquir. hæred, gloſ. & Iaſ. ad L. I. paragr. veteres. de acquir. poſſ.

30 cap. veritatis. de iureiur. ext. cap. I. de probat & dd. eod Bald. ad l. pen. C. de bon. quæ lib. & ad tit. de pace. Conſtant in verb. ſucceſſor. Afflict. deciſ. 282. nu. 7.

31 cap. licet. de vot. ext.

acceptum, ſed legis beneficio regnum ferre debebat. Sed quis, inquies, huius legis lator fuit? Idem certè, qui regnorum auctor, DEUS, qui ſolus eam antiquare poteſt. Hoc tu ſi negas, vim tibi longæ conſuetudinis obiicio, qua nulla ſanctior lex eſſe poteſt. Quod vel ex eo facillimum fuerit coniicere, quod tacito cònſenſu per deſuetudinem ſcriptæ leges aboleantur. [32] Hoc ius æquum diu maioribus noſtris viſum eſt, hoc omnium ſæculorum memoria iure vixerunt, euidentem vtilitatem adferre debes, vt nunc tandem ab eo recedatur. [33] Siquidem minimè mutanda ſunt quæ ſemper interpretationem certam habuerunt. [34] Tu verò non ita magni facis hanc legem, vt in ea poſitam Scotiæ fortunã arbitreris. Maiorum inſtituta cõtemnis, quibus hac lege quæſitum eſt imperium. Regem enim, neſciò quem, ranarum, vt eſt in fabulis, nobis introducis, cui populus inſultet, ac deſultet. Nam vſqueadeo libidini multitudinis adſtrictum reddis, vt cõmouere ſe non queat. Si creandi modò regis ei, & abdicandi facultatem concederes, tolerabilior viderere, quam cùm puniendum, & leonis inſtar, aut vrſi tractandum inſanienti populo committis, ſi quid in adminiſtrandi regni ratione deliquerit.

32 L. de quibus. d. de legib. L. conſuetudinis. C. quæ ſit lõg. cõſu.

33 L. in reb. p. de cõſt. princip.

34 L. minime. de legib.

CAPVT 7.

SEd vt ad propoſitam regis & medici comparationem ſeſe noſtra reflectat oratio, hic diſputationem iſtam abrumpemus, cætera hui' inſtituti, quæ Scotici regni propria ſunt, ſuo loco perſecuturi. Nam ſatis hic animo noſtro factum eſt, errorem indicaſſe tuum, qui non tantùm initio regna parari, verumetiam multitudinis ſuffragio retineri, & ad poſteros tranſmitti putas. Ex iis porrò quæ dicta ſunt apparet tanta medici regíſque diſſimilitudo, vt officio tantum & cura, non etiã iure, non poteſtate, de qua noſtra omnis diſputatio eſt, veniant inter ſe cõparandi. Æger enim morbo profligando quem vult arceſſit medicum populo: pręſertim noſtro, naſcuntur reges, haud optioni relinquuntur. Æger nulla probabili ratione medicum arcere poteſt, quoties animo collibitum eſt ſuo: nulla populo tam iuſta poteſt eſſe cauſa, vt regem abdicare queat, arbitratu beneficióque ſuo minimè conſtitutum. Verùm ne tibi duriores æquo videamur, demus initio reges populi voluntate ſuſceptos, ſuffragiis electos, iudicio creatos, nec aliter ad regni curam acceſſiſſe, quã medicos ad ægri. Imperitia medici culpæ tribuitur, nedum ſponte peccantis vęcordia reprimitur.[1] Sicut enim medico

[1] L. imperitia de reg. iur. §. Præterea. inſtit. ad leg. aquil.

2 non debet imputari mortalitatis euentus, ait Vlpianus,[2] ita quod per imperitiam commiſit, imputari ei debet. Nam prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines non debet eſſe innoxium. In medico punit imperitiã lex Aquilia, etiamſi dolus abſit, etiamſi propenſiſſimo ſtudio curet ægrum.[3] Nam ſi male ſecuit, ſi perperam medicamenta porrexit, ſuum illi nihil patrocinatur officium. Quin & ſi bene ſecuit, ſi tamen curationem dereliquit, Caius culpæ reũ eſſe pronunciat.[4] Regum flagitia quò deteriora ſunt exemplo, periculo maiora,[5] eò ſeuerius tibi videntur eſſe coërcenda. Rectè quidem. Sed quis medicum erroris arguet? Cuius ea de re cognitio erit? Ægri? minimè verò, ſed peritioribus accitis in cõſilium medicis, quorũ iudicio culpa detegetur, magiſtratus ſarciendã iniuriã, noxam redimendã, flagitium artis admiſſum iuſto ſupplicio luẽdum curabit.[6] At populum ægri ſimilem eſſe dixiſti, medici regẽ. Regis igitur delicta nec à populo diſceptari, nec populi iudicio vindicari debẽt. Siquidẽ popul⁹ ſemper ęger eſt, ſemper inſanus, à cuius arbitratu ſententiáq; pendêre nec fortis eſt viri, nec ſapientis. Sed quoniam eius optioni permiſimus reges, vt medicos ægri, perſequamur ſimilitudinem.

l. illicitas parag. ſicuti de officio præſid. l. ſi quis parag. Celſus. d. locat.

3 l. 7. & ſeq. D. ad leg. aquil.

4 D. l. idem iuris. ad leg. aquil.

5 Can. ex multis. 1. quæſt. 3.

6 D. l. illicitas. de offic. præſid.

Quid ſi medicũ adhibuerit æger imperitũ,& artis ignarũ. ea conditione ac lege, vt ſe totũ illi credat,nec arbitratui quidquam ſuo retineat? Quid ſi medico tantam virtutis opinionẽ conceperit, quid ſi tanta beneuolentia cõplectatur,vt ei ac in eum omnem ſui poteſtatem contulerit,atque vt impenſi officij gratiam retuliſſe videatur,eo priuilegio gentem eius vniuerſam honorarit,vt ex ea porrò ſibi ſuiſque medicos,quales ſors obtulerit,adſciſcat? Quid ſi ſuum ſuorúmque capita fortunáſque diris implendę cõditioni deuoueat? Certè volenti nulla fit iniuria.[7] Licet enim quãlibet contractui legem adiicere,ſed vt ea initio volũtatis eſt arbitriique noſtri,ita pòſt neceſſitate iuris conſtrictos & obligatos habet,[8] Principio modũ eius beneficij finémque præſcribere potuiſſet, ſed re iã non amplius integra,quod benignitatis erat in præſtationes mutuas cõuerſum eſt, vt nec ægro medicũ mutare,nec medico liberũ ſit ægrũ deſerere. Atqui profecto cõſtat his cõditionibus atque legibus creatũ eſſe regẽ, alioqui creatum eſſe nego,ſed vel armis, vel alio iure cõſtitutum. At cur ex Platone medici potius quã patrisfamilias, aut domini ſimilitudinẽ attuliſti? Nã ille regem non medico tantùm, verumetiã domino, patri familias,nauis gu-

7 L. nemo videtur. de regul. iur. l. venditor. c. de reſcind vend.

8 L. in commodato. parag. ſicut. D. cõmod. l. ſi fide iuſſ. parag. pẽ. qui ſatiſd. cog. l. ſicut. C. de oblig. & act.

bernatori,& ſi quod eſt aliud poteſtatis inter
9 homines,& imperij vocabulum, atque adeo
In polit. cæli terræque moderatori deo comparauit.[9]
Quid enim aliud eſt mortalis iſta monarchia,
niſi cæleſtis illius ſimulachrũ & imago? Quid
regnum, niſi familiæ, niſi nauis vmbra quædam
& effigies vnius domini vel gubernatoris
imperio moderatæ? Rex hominum cætui
præeſt, non ſecus ac pater familiæ, dominus
ſeruis, naui gubernator, quibus imponunt
quas volunt leges, non accipiunt: quibus imperant
non ipſorum iudicio, ſed ſuo: quos regere,
quos tueri non ex ipſorum nutu ac vo-
10 L. iuris gent §. ſed cum nulla. de pact. L. 1. de rer. per mut. L. ſi deiuſſor oblig. de fideiuſſ. L. Stichum. §. naturalis. de ſolut. L. ſi noxali. de pecul. luntate, ſed à natura præſcripta lege tenẽtur.
Quæ lex nec vllam læſis actionem parit, nec
vllum iniuſtæ dominationis,[10] niſi in parendi
neceſſitate remedium. Quo fit, vt boni
principes numinis in ſe benignitatẽ agnoſcant,
& quo plus ſibi poteſtatis in homines
conceſſum eſſe intelligunt, eò moderatiora
gerant imperia. Nã quod eſt apud poëtam,[11]

Qui peccare poteſt peccat minus, ipſa poteſtas
Semina nequitiæ languidiora facit.

CAPVT 8.

11 Ouid. SEd tu neſcio quam regnandi artem inſtituis,
ex ciuilium legum præceptis conflatã.
pag. 16. Putas enim perinde regibus, ac medicis &
grammaticis,

grammaticis, certas adhiberi poſſe regulas, & quaſi leges, quarum definitionibus atque decretis alligentur. Omitto iſtarum rerum diſſimilitudinem à Stoico propoſitam, tibi fortè notiorem quam mihi, tantùm aio regibus nullam præſcribi nec poſſe, nec debere legem, vt medicis & grammaticis, quæ ſemper ſui ſimilis hominum genus perpetua neceſſitate cõſtringat. Mortales enim ſunt hominum leges, vt eſt apud Liuium, & temporibus ipſis mutabiles. Nam & ciuitatibus ſua fata ſunt, vt Magi Seleuco nouam vrbem cõdenti reſponderunt,[2] ſicut & hominibus ſingulis, nedum legibus, quarum imperia perſonis, locis, temporibus ſemper conſentanea fuêre. Hominum enim inſtituto conſtant, & vtilitate diriguntur; vt non iniuria menſuris eas comparet Ariſtoteles,[3] quæ non vbique terrarum pares inueniuntur, ſed maiores iis in regionibus, vbi res emuntur: vbi venduntur, minores. Negotiorum enim varietas nõ patitur vllam ferri legem perpetuam, conſtantem, & quæ apud omnes homines idem valeat, fati neceſſitate ſolutam. Eóque bonus ille iuriſconſultus, omnem in iure definitionem periculoſam eſſe refert,[4] Parum enim eſſe, vt ſubuerti non poſſit. Leges enim prudentiæ ſunt, non alicuius artis aut ſcientiæ.[5]

1 Senec. epiſt. 1. lib. 15.

2 Appian. in Syria.

3 Lib. 3. Ethic. Nic. cap. 4.

4 L. omnis. de regul. iur.

5 Ariſt. lib. 6. Ethic. Nicom.

Hæc vniuerſarum rerum eſt, illa ſingularum: hæc neceſſariarum, & eodem modo ſemper habentium, illa mutabilium, quales ſunt quæ ſub actionem cadũt: illa præceptionibus certis ac legibus, hæc experientia modò continetur. Quo fit, vt pueri geometræ quidem & grammatici facili negotio fiant, prudentes non fiant. Si quidẽ vſum & experientiã mortalibus non præcepta pariunt, ſed temporis longinquitas, & exercitatio. Aliud etiam harum rerum ex eo diſcrimẽ apparet, quod qui grãmaticæ, Rhetoricæ, Geometriæ, vel Medicinę peritiam & artem aſſecutus eſt, quãuis eam non exerceat, tamẽ grãmaticus eſt, orator, geometra, medic⁹, aut ſaltem eſſe poteſt, quoties id ſibi in animum induxerit. Rex verò nec Stoicus ille Diogenes erat, nec Plato, nec Ariſtoteles, qui tot regnorũ ac rerũpubl. ſcita legéſque percalluit. Neque enim verſamur hîc in Platonicis idæis, nec Stoicę diſciplinę ſeueritate regem metimur, ſed hominũ inſtitutis & vſu rerum id quod eſt quærimus, non id quod eſſe debet. Communem vitæ degendæ conſuetudinem intuemur, paradoxa refugimus, qualia de ſapiente ſuo Stoici comminiſcuntur, ſplẽdido verborum apparatu ac lenocinio potius oſtentandi ſui, quam veritatis indagandæ ſtudio, magnificè vulgo

iactata. Namque ſolus, vt illi ferunt,

Sapiens vno minor eſt Ioue, diues,

Liber, honoratus, pulcher, rex denique rerum,

Sed quid his immoramur, quibus ipſe non aduerſaris? qui prudẽtiam artem regiam eſſe definis, ac regem eſſe non eum, qui legum ciuilium intelligentia valeat, ſed qui prudentia cæteris antecellat. Abſurdum verò quod regi prudentia & vſu rerum humanarum excellenti legem adiecisti veluti collegam, aut potius moderatricem libidinum. Illud enim verè poëta, [6] pag. 17.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia.

Ea legibus omnib⁹ ſuperior eſt, quæ quaſi architectonice verſatur in publicis rebus, legũ & rogandarum & abrogandarum ratio, [7] imperandi, vetandi, permittendi, ac puniendi ſcientia, quibus rebus ciuilium legũ poteſtas omnis ac vis continetur. [8] *Sed tu liberam ei rerũ omnium poteſtatẽ tradis, in quo ſumma perfectáque prudentia cernitur, eúmque licet minus ſuffragiis, natura tamen regem eſſe contendis. Sed quia tales non reperiuntur, eum qui proximè ad illam excellentem naturæ præſtantiam acceſſerit, ſimilitudinem quandam in eo veri regis amplexus, etiam regem appellas. Verum quia non ſolùm regem, verumetiam hominem eſſe meminiſti, multa per ignorantiam errantem, multa ſponte peccantem,*

6 *Iuuenal.* Saty. 14.

7 Ariſt. lib. 6 ethic. Nicom. cap. 8.

8 L. legis virtus. D. de legib.

pag. 18.

multa propè inuitum, negas omnium rerum arbitriū penes eum eſſe debere. Vide nunc quàm non obſcurè præ tę fers haud eſſe præſentis diſputationis id ius quo Scotiæ reges hucuſquè vixêre, ſed inſtitutum hunc dialogū, vt eo iure ſublato nouum introducas, quod tuo palato ſapiat, quod tuo iudicio naturæ magis conſentaneū eſſe videatur. Nam ſi rerum noſtrarum annales euoluamus, ſummā iuris ac legū poteſtatē penes reges ſemper fuiſſe reperiemus. Exemplis huius rei plenæ ſunt hiſtoriæ, quas tibi cōſulendas relinquo. Sed ne fidem exemplorum eleuare, verbiſque noſtram orationem refellere queas, obſignatis tabulis agā: audi vetuſtiſſimā patriæ legē, multis ante Bruſium natum annis latam, cuius armis
an.1046. regnū hoc, quantū quantū eſt, longa poſteritas cum iuriſdictione & imperio poſſidet.[9]

9 Hector. Boet Scot hiſt. li. 12.

In profanis rebus nemo ius dicito, niſi quem iuri dicundo maieſtas regia præfecerit.

Solius regis nomine ius omne redditor, conuentus indicuntor, concilia conuocantor.

Ne quis alia quàm regia auctoritate magiſtratum obtineto.

Si quis in alterius quàm in regis verba iurauerit, capital eſto.

Nemo fundum, prædium, agrum alia quam regis auctoritate poſſideto.

Si quis cum alio ſocietatem coierit, fidẽ & obſequiũ aduerſus quemlibet profeſſus, capite punitor.

Si quis iniuſſu regis homines in armis habuerit, morte crimen expiato.

Si quis optimatium alienæ ditionis affinitatem contraxerit, capite luito.

Sunt & alia permulta huius legis capita regię poteſtatis aſſertioni conſentanea. Non audis quã diſertè loquatur? Duo ſunt quibus omne continetur imperium, duobus reipublicę tẽporibus accommodata, leges & arma, quorũ ſummam poteſtatem cum patriæ lex antiquiſſima regi vindicet, vt quod ait illle,[10]

10 Claudian. in præfa. aduerſ. Ruffin.

Iuſtitia pacem, viribus arma regat,

quid eſt ei quod ad liberũ omniũ rerum arbitrium deſideretur? Regis nomine ius redditur, magiſtratus à rege creantur, comitia indicuntur, in ſolius verba iuratur, omnia regni prędia ſolius auctoritate poſſidentur, ſoli fides & obſequium clientelarum lege debetur, ſolus iuri dicundo prϗeſt, ſolus gladij poteſtatem, ſolus merum habet imperium, quibus ergo legibus obnoxius agit, niſi quas ipſe ſibi præſcripſerit? Næ tu valdè noſtratib⁹ iniquus es, qui legẽ ante quingentos annos latã, tot ſęculorum vſu retentam, odio regum antiquare ſtudes, in cuius obſeruatione tamen fixum eſt Scotici regni fundamentum, atque

omnia ſalutis publicę momēta vertūtur. Laudatur opinione veterum egregia vox Ennij,

Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſque.

Tu verò præcipite conſilio mutandam regni faciem arbitraris, conculcatis maiorum inſtitutis, ac tota reipubl. ratione perturbata. Aliò iure viuitur, alio tu viuendum putas. Nō vis regis arbitrio regnum permitti, ſed multitudinis. Regi legem adhibes cupiditatum moderatricem, auctore populo, non rege, latam. Quin profers ſi quam habes. Paſſim enim legis, neſcio cuius, mentionem dialogus ille nobis inculcat tuus, ſed loquentem audire cupio: nuſquam enim verbum eius vllum attuliſti. Nec potes ſanè. Nunquam enim vllo æuo Scotis audita lex eſt, quæ legitimæ dominationis modum vllum principi definiret. Quinimo ſi qua lex olim in hanc ſententiam ſcripta fuit, ea populi cōſenſu, ea diuerſa regnandi ratione, ea legibus in contrarium promulgatis abiit in deſuetudinem, vt eius ne fama quidem remāſerit, niſi quæ nuper auctore te prodiit ab inferis, nullo iuris, nullo veritatis argumento ſubnixa. At, inquies, non eſt veriſſimile ſolis Scotiæ regibus liberam & infinitam in ſuos populares à maioribus relictam eſſe poteſtatem, cùm cæteri mortales regum imperia legum cācellis cir-

cumſcripſerint, multis experimentis edocti, recti⁹ libertatẽ legibus, quam regibus credi. Eius rei teſtem citas Macedonẽ Philippum, Pag. 21.
qui, cùm vetulæ, vt cauſam ſuam audiret, roganti, reſpondiſſet, ſibi non eſſe otium, illáq; ſubieciſſet, igitur ne ſis rex, admonitus officij paruit, & quod regum eſſet munus agnouit. Rem opinor attigiſti. Sed & Gorgo Cleomedis filia, cùm videret ſeruum hoſpiti Aſiatico ſoccos detrahentem, accurrens ad patrem, exclamauit, pater, hoſpes manus non habet. Quo ex puellæ dicto de tota Laconica diſciplina, regúmque domeſtica conſuetudine iudicare poſſumus. Addis Ageſilaum & Leonidam, cæteróſque Lacedæmoniorũ reges, qui hoc inſtituto vixêre. Addis & Scythas, qui regia dignitate præditi, vel ſuos diſtringebant equos, vel aliud operis faciebãt, quod multo magis à noſtris moribus abhorret. His & Stoicum tuum regem adde, ſi lubet, equidem nõ repugno. At quorſum iſta? Non enim iam de regum agitur officio, non de veterũ ſancta ſobrietate, non de parſimonia & abſtinentia, non de noſtrorũ tẽporum munditiis & elegãtia, nõ de luxu & nequitia, quæ ſi præſentis eſſent inſtituti, noſtrorum regum plæroſq; non modò conferrem veteribus illis, ſed & vnũ omnibus anteponerem

Robertum Bruſium, parentem nobis regiæ ſtirpis, qui humi cubare, in ferarum ſpeluncis deliteſcere, baccis arborum, herbarũ radicibus, & aquæ potione vitam tolerare, jam inde à teneris aſſueuerat. De poteſtate regũ & imperio nobis controuerſia eſt, adſtrictáne legibus illa ſint, an verò ſoluta & libera. Sed equidem miror te virũ ita variæ lectionis oblitũ Diodori Siculi, qui tibi vnus omnium inſtar eſſe debuit. Is Ægyptiorum reges vſque adeo legibus addictos fuiſſe narrat, [11] vt ex earum imperio priuatam vitam inſtituerent, nedum publicam perſonam ſuſtinerent. Neque enim judicandi ſolum, aut cogendæ pecuniæ ratio, verumetiam edendi bibendíque certa menſura, deambulandi, lauandi, & cum vxore cubandi, modus ei lege definitus erat, vt non à legiſlatore, ſed à peritiſſimo medico totius vitæ ratio compoſita illi præſcriptáque videretur. Huius rei ſi meminiſſes, nihil ad victoriam atque triumphũ tibi reliqui feciſſes. Verùm idem auctor ſolis hoc Ægyptiorum regibus in more poſitum fuiſſe refert, cum aliarum gentium atque nationum omnium reges infinita licentia, ac voluntate ſua pro lege regnarent. De iure regni apud Scotos noſtra omnis diſputatio eſt, de quo nullum verbum Diodorus.

[11] Lib. 1. cap. 3.

Cap. 9.

QVONIAM verò teſtimonia illa tua frigi diuſculè reſponderunt, nec tibi magis quàm mihi patrocinantur, M. Tullium huius opinionis auctorem laudas, quem equidem non reor vſqueadeo oblitum ſui, vt ſe cauſæ vindicem obtulerit, eius periculum in ſe recepturus. Nam quę ex eo protuliſti, auctoritatem rei cõtrouerſę defugiunt. Recita verba.[1] *Mihi quidem non apud Medos ſolùm, vt ait Herodotus, ſed etiam apud maiores noſtros iuſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim bene morati reges conſtituti. Nam cum premeretur initio multitudo ab iis qui maiores opes habebant, ad vnum aliquē confugiebant, virtute præſtantem, qui cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari iure retinebat. Eadémque conſtituendarum legum cauſa fuit, quæ regum, Ius enim ſemper quæſitū eſt æquabile. Neque enim aliter eſſet ius. Id ſi ab vno iuſto & bono viro conſequebantur, eo erant contenti: cum id minus contingeret, leges ſunt inuentæ, quæ cum omnibus ſemper vna atque eadē voce loquerentur. Ergo hoc quidem perſpicuum eſt, eos ad imperandū deligi ſolitos, quorum de iuſtitia magna eſſet opinio multitudinis. Adiuncto verò vt iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat quod homines his auctoribus non poſſe conſequi ſe arbitrarentur.* Albi ſternantur equi,

[1] lib. 2. offic.

nam his verbis triumphũ tibi M. Cicero decreuit,niſi mentem atque ſententiam viri penitus intueamur. Eam igitur,atque adeo verba,ſi libet,ſingula ponderemus. Iuſtitiam vſque adeo vitæ degendæ neceſſariam eſſe dicit,vt ne piratæ quidem & latrones, qui maleficio & ſcelere paſcũtur,poſſint ſine vlla iuſtitiæ particula viuere. Nam qui eorum cuipiã qui vna latrocinãtur,furatur aliquid,aut eripit, is ſibi ne in latrocinio quidem relinquit locũ. Archipirata niſi ęquabiliter prædã diſpertiat,aut occiditur à ſociis,aut relinquitur. Leges enim quaſdã eſſe latronũ ait, quibus pareant,quas obſeruẽt. Exẽplis ea firmat Barguli cuiuſdam latronis Illyrici, & Viriati Luſitani,quibus ęquabilis prædæ partitio magnas peperit opes. Apud Medos verò Deioces quidã cũ latrocinia paſſim exerceret, vt eſt apud Herodotum,[a] & æquiſſimè de præda ſtatueret,propter iuſtitiã regnum adeptus
[a] lib.1.
eſt. Quô alludens Mar. Tullius, Mihi quidem, inquit,non apud Medos ſolum, vt ait Herodotus,ſed etiã apud maiores noſtros, iuſtitiæ fruendæ cauſa,videntur olim bene morati reges conſtituti. Mortuo ſiquidem Romulo ſine liberis,ei ſucceſſor Numa Pompilius pietatis atque iuſtitiæ fama Curibus, oppido Sabinorum,accitus eſt ad Romani guberna-

cula regni capeſſenda. Quin & Tullus Hoſtilius, & Seruius Tullius regnum ſibi virtutis opinione pepererunt. Atque vt regum, ſic & legum conſtituendarum iuſtitia cauſa fuit. Ius enim ſemper quæſitum eſt æquabile, quod in contractibus arithmetica propoitione ſtultum ſapienti, diuiti pauperem exęquaret: in honoribus autem deferendis proportione geometrica non numerum, ſed pōdus & dignitatem intueretur. Secus enim in ſumma æquabilitate iuris ſumma eſſet inæqualitas, vt ait Plato,[3] imo pro iure coleretur iniuria. Cum igitur premeretur initio multitudo ab iis qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugiebant virtute præſtantē, qui prohiberet iniuria tenuiores, & ſummos cū infimis pari iure retineret. Alii verò quibus ſuſpecta erāt hominū ingenia, ad omnē odii & amoris auram mutabilia, tutius rem credi legibus arbitrati ſunt, quæ cū omnibus ſemper vna atque eadē voce loquerētur. Ex quibus apparet iuſtitiæ fruēdæ cauſa leges inuētas, vt & reges, ſed quod inops illa & imbecilla multitudo, cū tenuitati diffidens ſuę, aduerſus potentiorū iniurias vnius ſe viri permiſit arbitrio, eius imperia legum repagulis incluſerit, nullum planè verbū. Hoc igitur voluit auctor ille tuus, populorū alios regibus, quo-

3. lib. 6. de legib.

rum voluntas legum eſſet loco, alios aliis magiſtratibus ſubeſſe maluiſſe, quorum poteſtas omnis legibus eſſet obnoxia. Hos liberos populos appellat, quod illorum libertas credita ſit regibus, ex quorum nutu toti pendeant. Reges enim in quorum ditionem populi ius omne tranſiuit, legibus ſolutos eſſe ſignificat magiſtratibus verò, qui liberis præſunt populis; ex legũ ſanctionibus imperandi modum præſcribi. Eius verba ſunt libro de legibus tertio. *Nihil porrò tam aptum eſt ad ius conditionémque naturæ (quod cum dico legem à me dici intelligi volo) quam imperium.* Imperiorum varia genera ſtatuit, ac proinde ſubdit. *Omnes antiquæ gentes regibus quondã paruerunt. Quod genus imperij primùm ad homines iuſtiſſimos & ſapiẽtiſſimos deferebatur, deinde etiam deinceps poſteris prodebatur, quod & in ijs etiam qui nunc regnant manet. Quibus autẽ regia poteſtas non placuit, non ij nemini, ſed non ſemper vni parere voluerunt. Nos autẽ quoniam leges damus liberis populis, quæque de optima repub. ſentiremus in ſex libris antè diximus, accommodabimus hoc tẽpore leges ad illum quẽ probamus ciuitatis ſtatum. Magiſtratibus igitur opus eſt, ſine quorum prudentia, ac diligẽtia eſſe ciuitas non poteſt, quorúmque deſcriptione omnis reipublicæ moderatio continetur. Neque ſolum ijs præſcribendus eſt imperandi, ſed*

etiam ciuibus obtemperandi modus. Cicero popularem rei pub. formam probat qualis erat Romana ſub coſſ. & tribunis plebis, ad eámque leges ſuas accommodat, vt locus quidam incidat ex fragmentis libri primi de republ.[4] Eóque ſe liberis populis leges dare ſcribit, qui non nemini, ſed non ſemper vni parêre voluerunt. His igitur magiſtrâtus dat, quorũ difinitum eſt imperium eo iure quod populus in ſe dedit. Populus enim libertatis amãs, non hominum eam, ſed legum poteſtati permiſit, quam arbitratu ſuo moderari poſſet. Qui verò populi voluntate numinis in regũ poteſtatem conceſſere, nec ſibi parendi, nec regibus imperandi modum vllum lege præſcribere potuere, ſed vel ſponte ſua, vel inuiti, in eorum verba iurare coacti, legum vinculis ſolutum iis imperium reliquêre. Neque tamen minus hi reges, quam ſuperiores illi leges, iuſtitiæ fruendæ cauſa conſtituêre. His conſentanea ſunt quę refert Dionyſius Halicarnaſſęus,[5] non modò grauiſſimus antiquitatum auctor, verumetiam reipub. gerendæ peritiſſimus, *Omnes, inquit, Græciæ ciuitates initio ſub regibus erant, ſed poſteaquam eorum nonnulli abuti poteſtate cœperunt, & in rebus adminiſtrandis non tam leges, quam ſuam libidinẽ conſectari, regni tædio magna pars ſtatum publicum*

4. Apud. Non. Marcellum in verbo, accommodatum.

5. lib. 5.

mutauit,in leges ac magiſtratus omni poteſtate, ac dominandi ratione tranſcripta. Non iam intelli gis,quid ſibi tuus auctor velit,aliud nimirum eſſe regum,aliud legum imperium? Græciæ ciuitates,quandiu ſub regibus agebant,quoniam eos lege cogere non poterant, publicæ rei faciem innouarunt, & regum imperium in leges tranſtulerunt, Quod ſi minus iſta ſufficiunt,addam HalicarnaſſæoCornelium Tacitum aſtipulatorem, cuius in hiſtoria fides atque religio omni ſcrupulo mentem tuam exoneret.Eius verba ſunt,[a] *Vetuſtiſſimi mortalium nulla adhuc mala libidine,ſine probro,ſcelere,eóque ſine pœna,aut coërcitionibus agebant,neque præmiis opus erat,cum honeſta ſuopte ingenio peterentur, & vbi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſteá quam exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore ambitio & vis incedebat,prouenêre dominationes, multáſque apud populos æternum manſere. Quidam ſtatim, aut poſtquam regũ pertæſum,leges maluerunt. Hæ primò rudibus hominum animis ſimplices erant, maximéque fama celebrauit Cretenſium,quas Minos,Spartanorum,quas Lycurgus ac mox Athenienſibus quæſitiores iam & plures Solon perſcripſit.Nobis Romulus, vt libitum, imperitauerat. Dein Numa religionibus & diuino iure populum deuinxit, repertáque quædam à Tullo & Anco.*

[a] 6. Annal. lib. 3.

Sed præcipuus Seruius Tullius ſanctor legum fuit, queis etiam reges obtemperarent. Pulſo Tarquinio aduerſus patrum factiones multa populus parauit tuendæ libertatis, & firmandæ concordiæ. Deinde ſubiungit, rebus ad ſuffragia reuocatis, corruptiſſima repub. plurimas fuiſſe leges, tribunis reddita licentia quoquo vellent populum agitandi. Non ex his animaduertis initio rerum apud alios regum dominationes introductas, eáſque multos apud populos æternum manſiſſe: alios verò ſtatim, aut poſtquam regum pertæſum eſſet, leges maluiſſe quam reges? Non aduertis hic diſtincta regum & legum imperia? Regum placita pro legibus fuiſſe? Romulum, Pompilium, Tullum & Ancum Martium imperitaſſe iudicio ſuo, non populo, non legibus obligatos? Seruium Tullium, ancillæ filium, qui, vt plebi gratificaretur (cuius auxilio per vim alienum regnum occupabat) dimidium de regia poteſtate detraxerat, quíque leges ſanxerat, quibus etiam tenerentur reges, nullam à populo legem accepiſſe? Quæ cum ita ſint, alium auctorẽ quam Mar. Tulliũ laudare debuiſti. Sed non potes. Nuſquam enim gentium hoc frænum regibus iniectũ inueneris, vt multitudinis imperio ſubmiſeriut faſces, & legem acceperint ſupremę

7. Ariſtot. lib.3.polit. L. prohibitum C. de iur. fiſc. authent. de conſul. §. pen. in fin.

ditionis atque poteſtatis ſuæ moderatricem. Princeps enim animata lex eſt in terris,[7] cuius poteſtas atque iuriſdictio non alia lege quam ipſius voluntate in anguſtum cogi poteſt.[8] Ariſtoteles regẽ quaſi deũ inter homines cẽſendum ait. Deinde ſubiicit, νομοθεσίαν ἀναγκαῖον εἶναι περὶ τοὺς ἴσους καὶ τῷ γένει, καὶ τῇ δυνάμει· κατὰ δὲ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστι νόμος· αὐτοὶ γάρ εἰσι νόμος. Neceſſariũ eſt, inquit, legiſlationẽ inter eos eſſe qui ſunt & genere, & ciuili facultate pares. In illos autem huiuſcemodi nulla prorſus eſt legiſlatio, quippe qui ipſi lex ſunt. Hoc enim imperii gen9 œconomica ratione inſtitutũ eſt, ὅταν εἷς πάντων κύριος. quemadmodũ enim œconomia regnum eſt domeſticũ, ſic regnum œconomia quædam eſt ciuitatis. At ecquid iuris inter parentem & liberos, inter dominum & familiã intercedit?[9] Ab vxore vir, à liberis pater, à ſeruis dominus οἴκου νόμον accipiet? Imperium verò populare non œconomica, ſed longè diuerſa ratione conſtitutum eſt, cum in eo leges omnes ad ſummam ciuium æqualitem referri videamus. Populus enim vbi legum ſciſcendarũ facultatem adeptus eſt ægrè patitur aliquem vel ingenio vel virtute vel nobilitate, vel opibus excellentem. Eóque populus Atheniẽſis oſtraciſmon, Syracuſanus petaliſmon excogitauit, ne

8. L. vlt. C. de legib. ſpecul. tit. de feriis. parag. 1. nu. 9.

9. Ariſtot. lib. 5. Ethi. Nicom. L. lis nulla. de iudic. L. actiones. de obli. & act.

ne quis vlla re ciuis præ cæteris emineret. Teſtes appello Theſeum, Solonẽ, Ariſtidem cognomento Iuſtum, Themiſtoclem & Damonem, quos ob virtutis admirationem & ingenii præſtantiam, ad cuſtodiam æneí bouis ablegarant. Teſtis adhuc Miltiades, teſtis optimus quiſque, quem fortitudinis & ſapientiæ fama nobilem vlti ſunt iniquiſſimo capitis ſupplicio. Ac nihilo meliores iſtis Lacedęmonii Ageſilaum regis appellatione cæteris illuſtriorem, quod ita ciuibus charus eſſet, vt eorũ corda poſſidere diceretur, in ordinem irrogata multa coëgerunt. Quin & Hermodorum Epheſii virtutis opinione ſolum vertere iuſſerũt. Id enim illis lege cautum prouiſúmque fuit, nequis popularium cæteris vlla re pręſtaret. Regium autem imperium æqualitatem huiuſmodi ſummam inæqualitatem eſſe ſtatuẽs, multos ciuium gradus agnoſcit. Rex enim ipſe, cæteris vel genere, vel ciuili facultate ſuperior, nullam ciuitatis partem facit eximius, & auguſta illa dignitate ſacroſanctus. Reliquorum ciuium vt quiſque vel opibus, vel virtute, vel maiorum meritis, vel antiquitate generis, vel apud principem gratia maximè pollet, ita lõgiſſimè diſtat ab ignobilis vulgi fęce, principis idæam quãdam ac imaginẽ referens, non aliter ac princeps dei.

Cum igitur ægrè plebs meliores ſe patiatur, & ad pręſtantiū virorū defenſionē aduerſus plebis inſolētiā cōparata ſit regia dominatio, certū eſt in regibus ſitam eſſe legū ſummam poteſtatē, quæ nūquā à ſummo diuelli poteſt imperio. Eſt enim legis virtus imperiū, [10] & illius imperare, cuius eſt leges ferre. Quocirca cū regnū vnius imperio definiatur, vnius erit leges omnes figere, refigere, non arbitratu multitudinis, ſed ſuo. Id quod initio rerū humanarum vſuueniſſe videmus, cum regum voluntas pro lege colcretur. Scriptā enim legem habebāt nullam, ſed id demum ratum fixúmque populo manebat, quod principi placitū erat. Cuius rei teſtis erit Homerus, apud quem nuſquā legis mētionem vllam inueneris, cum paginis omnibus regū nomen occurrat venerandum, & auguſtæ maieſtatis plenum. Qua vel ſola motus ratione Ioſephus, [11] grauis auctor hiſtoriæ, Græcis olim ignotū fuiſſe legis vocabulum aſſerit, cùm moribus tātum, & regum imperatis regerentur. Nec his admodū diuerſam fuiſſe conſtat Romanarum rerum originem. Vt enim ſilentio laudemus hiſtoriarum fidem, quarum & iam antè meminimus, non alio quam Pomponii iuriſconſulti teſtimonio nitemur, quod pudore ſaluo reiicere non poſſumus, nedū vlla pro-

10. L. Legis virtus. de legib.

11 lib. 2. aduerſ. Apion. Alexand.

babili ratione refellere. Is enim Romani iuris, & magiſtratuum omnium originem ab ipſa infantia repetens.[12] *Et quidem, inquit, initio ciuitatis noſtræ populus ſine lege certa, ſine iure certo primum agere inſtituit, omniáque manu à regibus gubernabantur.* Sed equidem his haud immorabor, à quibus ipſe non abes. *Liberũ enim & legibus ſolutum imperium initio regibus traditum ais, ſed cum libido regum pro legibus eſſet, hominéſque in poteſtate infinita & immoderata collocati ſibi non temperarent, ſed multa gratiæ, multa odiis, multa priuatis commoditatibus indulgerent, regum inſolentia legum fecit deſiderium. Leges igitur hac de cauſa inuentæ ſunt à populis, regéſque coacti non ſua in iudiciis licentia, ſed quod populus in ſe dediſſet iure vti.* Regibus igitur *cætera liberis, hic vnus imperio præfinitus eſt modus, vt ſuas actiones & orationem ad legum præſcripta conformarent, vt rex eſſet lex loquens, lex rex mutus, vt ait ſummus adminiſtrãdæ reipub. magiſter.* Ciceronem intelligis, opinor. At equidem nego Ciceronem vſum hac ſimilitudine regis, & legis, ſed legis & magiſtratus. Eius verba ſunt,[13] *Vt enim magiſtratibus leges, ita populo præſunt magiſtratus, veréque dici poteſt, magiſtratum legem eſſe loquentem, legem autem mutum magiſtratum.* De magiſtratibus loquitur popularibus, quos Platonem imitatus

12. L. 2. de orig. iur.

pag. 20.

13. in princip. lib. 3. de legib.

14. In orat. pro Cluēt. ille miniſtros legum,[14] Plato etiã legum ſer-
uos appellat.[15] Magiſtratuum autem appel-
15. lib.4.de legib. latione reges haud includit, vt nec Plato βασιλεῖς τῶν ἀρχόντων. Iam enim antè Platonis ſententiam expreſſimus, regibus & condendarũ & abolendarum legum poteſtatem adiudicantis. Huc accedit quod ante diximus, Mar. Ciceronem Romanę reipublicę leges accõmodare, cui regum inauſpicatum & inuiſum erat nomen ob ſuperiorum temporum inſolentiam. Nam ex quo Tarquinius exulauit, nec Ciceroni, nec alii cuiquam Romani nominis monarchian probaſſes vnquam, quanto minus perſuaſiſſes quod apud Appianum
16. in Syriac. Seleucus ait,[16] vnam eſſe legem omniũ gentium communẽ, id ſemper æquum eſſe quod à rege præſcribitur? Sed hoc à rege dictũ eſt, cuius tibi ſuſpectũm erit teſtimonium, audi ergo loquentem Aeſchinem, popularis imperii ciuẽ. Is enim vbi ex omniũ hominũ opinione & iudicio tres eſſe politias docuiſſet, regnũ, quã tyrãnidẽ vocat, paucorũ & populi imperiũ, è veſtigio ſubiecit, διοικοῦνται δ' αἱ μὲν τυραννίδες, καὶ ὀλιγαρχίαν τοῖς τρόποις τῶν ἐφεστηκότων: αἱ δὲ πόλεις αἱ δημοκρατούμεναι τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις. Ex quibus intelligi puto nullam regibus à populo dictam eſſe legem cupiditatum moderatricem, nec id vnquam in ani-

mum Marco Tullio veniſſe, cùm diceret inuentas eſſe leges, quæ cum omnibus ſemper vna atque eadem voce loquerentur, cùm ab vno bono viro ius obtineri non poſſet, ſed omnes rerumpubl. auctores iuſtitiam ob oculos poſitam habuiſſe, quanquam diuerſis cò tenderent inſtitutis, diuerſa gubernandi ratione. Hos regum, illos legum imperio ſubeſſe maluiſſe, quod hi legum, illi regum ſuſpectam haberent tyrannidem.

Cap. 10.

QVONIAM autem hucuſque prouecti ſumus, & ingreſſi diſputationem hanc de legibus, aliò non diuertemus, quoad ratione definitum nobis concluſúmque fuerit, quid de legum, quid de regum imperio ſentire debeamus. Ais initio liberum fuiſſe regum & ſolutum legibus imperium, ſed poſteris temporibus ipſorum nequitia factum, vt legum cancellis circumſcriberetur. Sed qui tandem populi, quibus temporibus, quam legem regi dixerunt? Hic obtumeſcis, ac niſi definitione legis, quam à iuriſconſultis poſitam ais, veritatem eluderes, hæreres inops planè mẽtis & conſilii, nec vſpiam terrarum latebram inuenires vllam quò confugeres. Quoniam

enim Romani iuris prudẽtes legem eſſe aiũt quod populus ſciuit, ab eo rogatus, cui rogandi ius eſt, tu reges omnes quamuis Romanæ ditionis ignaros & exortes, ea definitione cõtineri putas, qua illi Quiritium ius, & Romanæ reipubl. ſtatum expreſſerunt. Quod ex ipſis definitionis verbis apparet, modo non interpolata, ſed integra proferrentur. Cum
1. enim partitus eſſet imperator [1] ius omne Ro
parag, cõſtat inſtit. de iur. nat gent. & ciuil. manum in ſcriptum, & non ſcriptũ, iuríſque ſcripti genera ſtatuiſſet legem, plebiſcitũ, ſenatuſcõſultũ, principũ placita, magiſtratuum edicta, reſpõſa prudẽtũ, ſingula definitionib9 explicat, ac inter cætera, legẽ ait eſſe i9, quod populus Romanus ſenatorio magiſtratu interrogante, veluti conſule, cõſtituebat. Si apud Gallos, Hiſpanos, Anglos, Scotos, aut ſi vis etiam Venetos, quorum tibi maximè ridet ariſtocratia, hoc modo legem definires, quod populus Gallus aut Venetus interrogãte ſenatorio magiſtratu cõſtituit, abſurdus videre, nec quiſquã vſq; adeo deſiperet, quin te ſolẽniter inſanire putaret. Nã rogationis
2. Bartol. ad L. vlt. C. de leg. Bald. ad L. 2. C. de adoptionib. illa formula, qua plebis populíque iuſſa cõſtabãt, ita noſtris moribus aduerſatur, vt ne veſtigium quidem eius vllum appareat. Ac ne populus quidem Romanus hodie legem vllam condere poteſt, omni ditione atque imperio deſtitutus. [2] Etenim.

ex quo ſuffragia nulli
Vendidit, effugit curas. Nam qui dabat olim
Imperium faſces, legiones, omnia; nunc ſe
Continet, alienę dominationis iugo deſeruiẽs.

Pudet me certe, popularẽ meũ, hominũ cætera literatiſſimũ, atque tota paſſim Europa doctrinæ fama nobilẽ, adeo turpiter hallucinatũ, vt regna ſui iuris atque ditiónis, Romani iuris definitione cõprehẽdat. Sed neſciebat eo maieſtatẽ imperii lædi, quod peregrinis legibꝰ vel principẽ, vel populũ obligaret. Si tã diligẽs Scoticarũ rerũ obſeruator eſſes, Buchanane, quã videri vis illa noſtræ gẽtis hiſtoria, vel potius fabula, quã audio te mẽdaciis impudẽtiſſimis ad cõciliãdã dialogo tuo fidẽ adornare, nõ ita turpiter impegiſſes, ſed à regni legibus admonitus, aciẽ ſtyli retudiſſes ne in capitalẽ iſtã fraudẽ incideres. Nunquã, opinor, oculos in ordinũ acta cõieciſti: legiſſes enim Perthi ſub Iacobo primo maximis populi comitiis diſertè cautum fuiſſe, ne aliis Scoti, quã regũ ſuorũ, legibus haberẽtur obnóxii. Idẽ quoque ſub imperio Iacobi quarti repetitũ animaduertiſſes actorũ capite cẽteſimo decimoquarto. Iſta verò magnopere miror ignorare te, qui famoſo iſto libro tãtũ ordinibꝰ populi tribuiſti: Sed non modo Scoticis, verumetiam aliorum regnorum legibus idẽ ſapienter edictum eſt. Philippus &c.

anno. 1425.

anno. 1503.

Philippus cognomēto pulcher cùm Lutetiæ ſupremæ iuriſdictionis curiā inſtitueret, eam Romano iure ſolutam eſſe declarauit: in eám que ſententiā vetus extat eius curię decretū, ne cauſarum patroni Romanarum legum au ctoritatē patriæ legibus opponerent. Sed cū illæ bono & æquo niti videtur, & probabilē vtilitatis publicę cauſam continere, nos earū vtimur, haud imperio, ſed ratione, cui omnes homines naturæ præſcripto ſubiiciūtur. Quin & ſi quid aduerſus rationem legū Romanarum perperam ac temerè iudicatum eſt, id earū multis, pœnis haud æſtimatur, ſed vel principis, vel ſuperioris magiſtratus arbitratu. Nā cū in publici muneris partem admittimur, & conceptis verbis inaugurāmur, ſolemni ſacramento regiarū & municipaliū legum atque morum obſeruationem, nulla Romani iuris mentione, ſpondemus. Apud Hiſpanos capitis pœnam iis indictam legimus, [4] qui Romanarum legum auctoritatem vel in foro laudarent, vel in puluere ſcholaſtico profiterētur. Sed ſi quid occurreret patriis legibus ac moribus indefinitum, quod iudicanti religionem adferret, vnicum erat eximendo ſcrupulo regis conſulendi remedium. [5] Alaricus Toloſæ regnans idem Gothis imperauit, vt ſi quis aduerſus ipſius leges ciuile

3. Bald. ad L. nemo C. de ſent. & interloc. & ad §. iniuria. de pac. iur. firm. Iaſ. ad L. illā C. de collat. Rebuſſ in proæm. cōſtit. reg gloſſ. 5. nu. 20.

4. Oldrad. conſil. 69. Polycrat. lib. 8. cap. 22.

5. Conſtit. Alphonſi lib. 1. ordinat. tit. 3.

Romanorum ius citaret, temerè factũ morte lueretur. Populares tui, Buchanane, Romanis vnquam obnoxij fuêre? Romanorũ principum, an regum ſuorum legibus paruêre? Quiritiũ inſtituta magis, an ſua coluêre? Cur igitur legẽ nobis definis, populi Romani ſcitum? Cur multitudinis ſponſionem? Nos vnquam Scoticæ multitudini, nedum Romanę paruimus? Profer in medium legem aliquam auctore populo Rogatam. Id ſi non potes, aliam legis definitionem expecto. Eam ſi velles adferre noſtris moribus ac iuri conſentaneam, quod principi placuit legem eſſe dices qui ſolus pro imperio iubere, vetare, permittere, ac punire poteſt. [6] Nam ſi Romanus ille populus, ex quo tempore in ditionem Cæſarum conceſſit, priuati loco ſemper egit, illorum non modò legibus ac imperio, verumetiam libidini obnoxius, quanto magis priuati cenſeri debent noſtrates, Angli, Galli, qui nihil vnquã in regem poteſtatis habuêre? A Cæſaribus gentium victor ille populus iure ſuo repoſcere ditionẽ potuiſſe videtur, quam in illos olim errore magis, quam volũtate iudicióque ſuo tranſcripſerat. Noſtri reges nihil acceptum populo ferre tenẽtur, ſed deo, à quo poteſtas omnis & imperium, eíq; ſoli rationem ſui reddere muneris & officij.

6 L 1. de cõſtit. princ. L. 1. de of. præf prꝑr. L. vlt. C. de legib. L. Si quod extraordinariũ C. de legation. lib. 10.

7 L. nõ ambigitur. D. de legib. § cõſtat. inſti. de iur. nat. gent. & ciuil.

8 L. vlt. C. de legib. L. 1. §. hoc autem. C. de vet. iur.

Sed inquies Cæſarum temporibus ſenatuſ-
conſulta, plebiſcita, reſpõſa prudentum, edi-
cta prætorum & ædiliũ pro legibus habita, 7
quanto magis vniuerſi populi iuſſum ſacro-
ſanctum eſſe debet, & vim optimo iure legis
obtinere? Nam & Iuſtinianus imperator, qui
populo ferẽdæ legis poteſtatem abrogauit, 8
legum ſuarum libris magnam prudẽtum au-
ctoritatem eſſe voluit, quorum reſponſa po-
ſteris velut oracula ſacrauit. Senatuſconſulta
Macedonianum, Velleianum, Trebellianũ,
Silanianum, & id genus cætera: Leges Aqui-
lia, falcidia, municipalis, aliæque permultæ:
edicta de damno infecto, de publicanis & ve-
ctigalibus, de pactis, de procuratorib': inter-
dicta de tabulis exhibendis, ne quid in loco
ſacro, ne quid in flumine publico, de ripa mu
nienda, de locis & itineribus, aliáque infinita
paſſim in noſtris libris obuia, non modò Iu-
ſtiniani legiſlatoris, ſed & aliorum imperato-
rum ſanctionibus ad poſteritatis memoriam
peruenêre. Vniuerſi populi conditio dete-
rior eſt, quàm plebis, quàm ſenatus, quàm
prætorum vel ædilium, quàm paucorum ſa-
pientum, qui & ipſi appellatione populi con-
tinentur? Bellè quidem iſta: ſed aio Cęſarum
temporibus ſenatuſconſulta non à ſenatu,
plebiſcita non à plebe, prætorum edicta non

à prætoribus, prudentum reſponſa non ab iis qui conſulebantur, ſed ab ipſis Auguſtis vim & auctoritatem legum accepiſſe. Nam ita demum firma rataque manebant, ſi vel conſulto, vel non contradicente principe ferebantur. [9] Sed vt olim illa valuerint, hodie certè legum non obtinent vicem. [10] Quid ſi nec olim valuiſſe concedamus, niſi certa principis & expreſſa voluntate firmata? Nam eo iure ſub Auguſto vixiſſe Quirites apparet. Si quidem irrita ſenatus erant decreta, quæ illo abſente fiebāt, niſi pòſt eius auctoritate ſancirentur. Auctoritatem Xiphilinus [11] certam & manifeſtam principis voluntatem interpretatur, quam vno verbo Græcis efferri poſſe negat. Sic enim ille, Απόντος δὲ αὐτοῦ ἐβουλεύοντο μὲν, καὶ ἡ γνώμη ἐγράφετο, οὐ μέντοι καὶ τέλος τι ὡς κεκυρωμένη ἐλάμβανεν, ἀλλὰ καὶ αὔκτωρ ἐγίνετο ὅπως φανερὸν τὸ βούλημα αὐτῶν ᾖ τοιοῦτον γάρ τι ἡ δύναμις τοῦ ὀνόματος τούτου δηλοῖ. ἑλληνίσαι γὰρ αὐτὸ καθάπαξ ἀδύνατόν ἐστιν. Quin & noſtris id moribus receptum eſt, vt ſenatus leges & condat & interpretetur, ſed quarum promulgationi principis nomen præferatur. Qua ex re intelligi poteſt, eas ſola principis auctoritate niti, ſapientum autem hominum iudicio probari.

9 Bald. ad L humanum. C. de legib.

10 Iohann. Faber in verb. prætorum, & in verb. reſponſa, inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil.

11 In Auguſto.

CAPVT II.

SEd iterum inſurges, eodem in regno, vt linguarum & idiomatum, ſic & legum magnam eſſe varietatem atq; multiplicem differentiam. At verò ſi legum poteſtas omnis penes vnum principem eſſet, non viueretur alio iure Pictauis, alio Toloſſæ: alio apud Armoricos, alio apud Neuſtrios: alio apud Hiſpanos, alio apud Belgas, alio apud Inſubres: alio apud Laudonienſes, alio apud Orcadas, Thulem & Hebridas. Sed cum varietas iſta legum ſub vno principe toleretur, apparet ab ipſis populis ſibi ius impoſitum, cuius mutādi nullam princeps poteſtatem habuerit. Videmus enim ſingulas non modò prouincias, verumetiam vrbes, municipia, vicos, & collegia ſuis quibuſdam inſtitutis regi, non modò vetere conſuetudine receptis, ſed & nouis, quæ ſibi, cum volunt, irrogant: idque iure illis optimo licere doctiſſimi Romanarum legum interpretes augurātur.[1] Sed eam rem ita verecundè propriis principum ac populi notis atque differentiis moderati ſunt, vt niſi quod principi videretur, nihil iuris populo reliquerint. Sed vt & nos cum illis ſaxū hoc impellamus, alia quadam ratione controuerſiam omnem deciſum iri cenſemus, quæ paulum admodum negotij ſit exhibitura, modo varietatis huiuſce cauſam & originē exqui-

[1] Bartol. & Paul. de caſtr. & alij ad L. omnes populi. de iuſtit. & iur.

ramus. Equidem igitur ſic ſtatuo, ciuitatum atque prouinciarum alias omnino regibus obnoxias, quæ vel armis ſubactæ, vel pactione quadam ac lege ſic initio in regum verba iurarũt, vt nihil ſibi retinuerint iuris, ſed eas leges acceperint, quas victori lubêret imponere. Alias autem ſic initio in poteſtatem regum atq; ditionem veniſſe, vt ſuis porrò legibus ac inſtitutis nihilo ſecius vterentur. Quo iure fuerũt omnia ferè municipia, quíque populi ſaluis ſe legibus Romano populo dediderunt.[2] Quales Siculos fuiſſe legimus, apud quos non Romano tantùm iure, ſed & ſuæ cuiúſque ciuitatis legibus agi conſueuiſſe ſcribit Aſconius. Quod genus ciuitates atque prouinciæ, quoniam ſaluis legibus in regum ditionem conceſſêre, iis inſtitutis agũt, quibus tum egêre, cum ſe dederent. Nouum porrò ius ſibi conſtituere non poſſunt, quod iuri publico, id eſt, regum ſanctionibus aduerſetur. Id enim deditionis legibus haud actum eſt, imo agi non potuit. Pugnant enim iſta, leges arbitratu ferre ſuo, & alieno imperio viuere. Quibus enim id iuris eſſet, legem rogarent qua ſe imperio ſoluerent. Viuunt igitur quædam prouinciæ priſtinis auitíſque legibus, quibus ante regiæ dominationis iugum vixêre, ſed illæ quoniam olim patientia

[2] Aul. Gell. lib. 16. ca. 13.

regum magis, quàm auctoritate nitebantur, & diu publicarum tabularũ teſtimonio caruêre, non tam legum, quàm morum & conſuetudinum nomen ſortiebantur. Sed multis hodie locis principum auctoritate, iuſſu atque imperio monimentis publicis ad poſteritatem conſignatæ, legum municipalium appellatione vigent ac valent, nihil iuri publico derogantes. Neque tamen eam vim ac firmitatem habent, vt à principe mutari non queant, cuius tum in leges, tum in homines poteſtas nulla ratione definiri poteſt. Hoc enim diuina differunt ab humanis, quod illa perfectiſſima ſint, ac perpetua ſtabilitate fulciantur. Humani verò iuris conditio ſemper in infinitum decurrit, inſtabilis & infirma, natura quotidie nouas edēte rerum formas, quæ noua legum remedia deſiderent. [3] Eóque rebus humanis regalem fortunam præpoſuit deus, vt leges temporibus accommodet. Siquidem, vt ait Comicus,

Hæc ætas aliam vitam, alios mores poſtulat.

Quemadmodum igitur deſuetudine lex abrogatur, ſic & conſuetudo lege. [4] Legem voco principis placitum iure ſuo, non precario regnantis, cuius imperio non modò ſingularum ciuitatum ac municipiorum iura cōſuetudinéſque, verumetiam publicæ leges ſunt

3 L.3 § ſed quia diuinæ. C de vet. iur. enucl.

4 L. de quibus. D. de legib. L 3. § diuus. de ſepul. viol. L. vn. C. de Iuſt. cod conf. parag. ſi quæ verò pragm. L. 2. C. quæ ſit long. cōſ. L. eos. parag. 1. de vſur. auth. nauigia. de furt. authent. omnes pereg. C comm. de ſucceſ.

obnoxię. Nam quod ad ſingulas ciuitates attinet, eæ priuatorum loco habentur [5] princeps vniuerſi populi perſonã ſuſtinet. [6] Quò fit, vt nullam ſibi legem poſſint irrogare, niſi quæ principi probetur: aut ſi rogẽt ea pactionis cuiuſdam potius vim, quã legis obtineat. Quod ſodalitatibus atque collegiis vſuuenire videmus, [7] quibus priuilegio conceſſum eſt, vt ſe ſuáque certo iure moderentur. [8] At verò priuatorum pactionibus nunquam iuri publico derogatur. [9] Eóque dicimus ciuitatum, collegiorum, corporum, vniuerſi denique populi ſtatuta principis auctoritate ſemper indigere, qua firma ratáq; permaneãt. [10] Quoniam ſæpe fit, vt vltra quam iis liceat progrediantur, dum inter ſe quædam ſtatuunt, quæ pactionibus includi haud quaquam poſſunt, publico nempe iuri contraria. Sed ne magis regiæ dominationis, quam legum municipalium vindices, aut parum æqui populo videamur, dũ incõſulto principe nihil contra formã publici iuris agi, ferri ſuſtinemus, ſi qua tamen lex in municipio lõgi temporis vſu recepta ſit, quam vel ratio, vel neceſſitas ſuaſerit introducendam, eam nos, etiamſi ſcriptis legibus aduerſetur, ratam, ſtabilem, ac ſacroſanctam eſſe volumus, quaſi tanto tempore principis conſenſu iudicióq;

5 *L.* bona ciuitat. D. de verb. ſignif.

6 L. 1. de cõſtit. prin.

7 L. vlt. de colleg. illic. *L.* vlt. *C.* de legi. *L.* 2. parag. hoc autẽ *C.* de vet. iur. enucl.

8 *L.* 1. *D.* quod cuiuſq. vniuerſ.

9 *L.* ius publicum. D. de pact. *L.* nec ex prætorio. de regul. iur.

10 Bald. ad *L.* humanum. *C* de leg b. DD. ad cap. cũ acceſſiſſẽt. de conſtit.

probatam.[11] Eam enim ſic accipimus, quaſi ea ſalua municipium initio ſe principi dediderit. Quod ſi non ſemper obſeruatam apparet, ſed pòſt inualuiſſe conſuetudine: nihilominus ſequendam arbitramur, quaſi principis vel auctoritate confirmatam, vel ſingulari quodam beneficio ciuitati conceſſam. Sed ea priuilegij potius, quam legis appellatione cenſeri debet.[12] Cuiuſmodi multa Pōpeius, Sylla, Caius & Auguſtus Cęſares Aſiæ & Bithyniæ ciuitatibus quibuſdã indulſerunt.[13] Neque tamen his, ſi quæ olim ſodalitatibus atque collegiis, vel etiam prouinciis permiſſa fuêre, poſteriores principes ita putamus adſtrictos, vt ea mutare, vt ab iis recedere non queant. Reges enim, vt iam ante dictum à nobis eſt, non regum, ſed regni ſunt hęredes, ex quo fit, vt maiorum ſuorum conuentionibus haud teneantur. Ex quibus apparet omnium non modò legum, verumetiam morũ, conſuetudinum atque adeo priuilegiorum poteſtatem omnem in regum manu ſitam, eóq; perperam ac temerè, ne dicam ineptè, definitam à te legem, id ius quod populus ſciuit, ſenatorio magiſtratu rogante. Cum enim de regno inſtituta ſit diſputatio, id ius quod principi placet, legem definire debuiſti, cui non modò populus, ſed & magiſtratus omnes

11 L. vlt. C. de teſtament. L. 1. & vlt. quæ ſit long. conſuet. L. 2. L. nõ tãtum. C. de decur. L. venditor. §. ſi cõ ſtat. cóm. præd. L. ſi ſine §. lucius. de adminiſt. tutor.

12 L. Antiochenſium D. de priuileg. credit. L. 1. de decret. decur.

13 Plin. ſecund. in Epiſt. ad Traian.

omnes obnoxij ſunt. Ac proinde principem legibus ſolutũ eſſe dicimus, quod ei ſoli condendarum, ei abolendarũ, ei moderandarũ, legũ onus incũbat. Alioqui ſummo fraudaretur imperio. Pugnãt enim iſta, ſummũ imperium habere, & alieno Imperio coërceri. Quod quia fieri non poteſt, nõ tantùm alienis, ſed & ſuis legibus principem liberari neceſſe eſt. Hoc enim minimè conſentaneum eſt rerum naturæ, vt quis ſibi legem dicat,[14] ſibi quid imperet, quod ex ipſius arbitratu pendeat atque ſententia. Nam quod ait iuriſconſultus,[15] nulla promiſſio, nulla obligatio conſiſtere poteſt, quæ ex voluntate promittẽtis ſtatum capiat. Nec enim ſibi poteſt quis legẽ dicere, à qua recedere nõ liceat.[16] Si verò princeps ſuis ipſe legibus adſtringi non poteſt, quanto minus tenebitur alienis? Solennis eſt omnium edictorum & regiarũ conſtitutionum clauſula derogatoria, quam vocant, qua principes non tãtùm ſuarum legum, ſed & à maioribus ſuis latarum, vim atque poteſtatem abrogant, quę legi quam valere iubent, aduerſari videntur.[17] Reges enim maiorum ſuorum ſanctionibus, nõ magis quàm pactis conuentis, aut contractibus obligantur. Ac nemini cõtrouerſum eſſe puto, quin extincto principe, reſcriptorum eius

14 L. ille a quo. §. tẽpeſtiuum. ad Trebell. L. pe. de arbitr.

15 L. à Titio in fin. de verb. obli.

16 L. ſi quis in princ. delegat. 3.

17 L forma C. de offi. præf. præt orient. & illir. Bald. ad L. 1. C. de ſum. trin. & ad L. reſcrip. C. de precib. imp. off. Alexand, cõſ. 101. nu. 5.

omnium, legum, priuilegiorum, atq; diplomatũ nulla ſit auctoritas, niſi ſucceſſoris vel confirmentur edicto atque lege, vel patientia tolerentur.[18] Titus Veſpaſianus, quem amorem ac delicias humani generis appellat Suetonius, ſuperiorum imperatorum placita omnia vno cõfirmauit edicto. Nam inſtituto Tiberij omnes dehinc Cæſares beneficia à ſuperioribus conceſſa principibus aliter rata non habebãt, quam ſi eadem iiſdem & ipſi dediſſent.[19] Carolus quartus imperator Bartolo in eam rem oratori delegato Peruſina priuilegia confirmauit, addita clauſula, quoad ab ipſius ſucceſſoribus reuocarentur. Siquidem nihil Bartolo, nihil Peruſinis gratificari potuiſſet imperator, quod de poſterorum principum commodis aut iure quidquã detraheret.[20] Eóque ſolenni more in Gallia videmus obſeruari, vt nõ modò ſinguli magiſtratus, verumetiã collegia, ciuitates, municipia, decuriæ, ſupremáque Themidis oracula nouo regi principatum ineunti negotiũ faceſſant, vt immunitates, iura, priuilegia, iuriſdictionem, poteſtatem & imperium, quod demortui principis liberalitate atque beneficentia conceſſum habent, ratum ſibi, firmũ ac ſanctũ eſſe iubeat, dato in eam rem, prout occaſio poſtulat, reſcripto vel diplomate.

18 Felin. in cap. ex parte in verb. regulæ. de reſcript. Ancara. conſ. 198. nu. 2.

19 Sueton. in Tito.

20 Bald. ad tit. de pac conſtant. in verb. amplius. afflict. in tit. quæ ſũt regal. in proœm. nu. 61.

Nec tantum in Gallia, ſed & aliàs paſſim, & priſcis etiam hominibus obſeruatum fuiſſe videmus, vt legum latores legibus haud tenerentur. Legimus enim [21] tribunos pleb. ad populum tuliſſe, vt Qu. Fabius legibus ſolueretur, quò legem ferre poſſet, qua intra decē annos eundem conſulem refici non liceret. Narrat Plutarchus [22] Lacedæmoniorum liberos parcè ac duriter educari ſolitos, atque ab ipſis incunabulis equorum inſtar domari, & ad patriarum legum obedientiam aſſuefieri. Regum tamen liberos natu maximos, ad quos regni ſpes attinebat, hac diſciplinæ ſeueritate ſolutos, arbitratu ſuo victitare, neque hominum, neque legum obnoxios obſequio. Sed hæc parum teſtibus indigent, à quibus ipſe pòſt non admodum videris abhorrere, cum ais nihil intereſſe regémne liberum & ſolutum legibus relinquamus, an ei tribuamus legum iubendarum poteſtatem.

[21] Liuius lib. 10. ab vrb. cond.

[22] *In* Ageſilao in princip.

CAPVT 12.

VErùm vt planius intelligas nihil omnino iuris, quod ad legum lationem attinet, in populo reſidere, earúmque ſummam poteſtatē in regibus hærere, nonne ſumma legū eius eſt, cuius eſt imperiū? Quid enim magis

proprium legis eſt, quam imperare?[1] Sed cuius tandem eſt imperium? populíne, vel magiſtratuũ, an regis? Regis eſſe vel ex eo licet augurari, quod omnes populi magiſtratꝰ vel ductandis exercitibus, vel iuri dicũdo præficiuntur à rege. Populꝰ verò nec creandi nec abdicãdi magiſtratus poteſtatẽ vllã habet.[2] Rex multitudinem regit, an multitudo regẽ? Populus delectum militum habere, copias conſcribere, bellum gerere, aut deníque armis vti poteſt iniuſſu principis?[3] Licuit vnquam populo fœdera ſancire, pacem vel inducias cum hoſte?[4] Populus aliquem, quantumuis bene de patria meritum, nobiliũ ordinibus adſcribit?[5] Populꝰ equeſtri baltheo, populus militiæ cingulo donat? Conſule regnorum hiſtorias, in quibus hoc ſolius principis munus eſſe reperies. Quanquam non inficior Franciſcum Galliæ regem conflictu Marigniano cingulum & enſem à Baiardo copiarum præfecto dignatum accipere. Sed eò ſe demiſit præſtantiſſimus heros virtutis amore, quam in illo viro ſuſpiciebat, cum alioqui natus eſſet eques, nec illiꝰ honoris indigeret. Regis, an populi nomine ius redditur? Apud regem, an apud populum prouocationum cauſæ diſcutiuntur? Vtri tandem

1 L. legis virtus. D. legib.

2 Lib. 2. feu. tit., quæ ſint regal. L. 1. D. ad leg. Iul. de ambit.

3 L. 1. C. vt arm. vſ. inſc. prin. Nouell. de armis. Aufrer. in ſtyl. parlam quor. cogn per. ad reg.

4 DD ad L. conuẽtionũ. D. de pact ad cap 1. de treug. & pac. cap. cum olim de reſtit. ſpol.

5 Bart. ad L. 1. C. de dignitat. nu. 6. Alberic. ad L. imperatores in princ. D. de decur. Paul. Caſt. ad L. quoti. in fin. C. vbi ſenat. vel. clariſſ.

ſupplicatur, vbi quid perperã aut iniquè iudicatum eſt? populóne, an regi? Princeps, an populus ætatis fragilitate lapſos, dolo circũſcriptos, aut eos qui vi, metu, iuſto errore, vel abſentia in captionem inciderunt, in integrũ reſtituit? Populo vectigalia ſoluuntur? [6] Populus tributum imperat? [7] Populi ſunt bona caduca? populi pœnarum mulctarúmque cõpendia? [8] Populi picariarũ reditus & ſalinarum? Vtrius tandem eſſe putas eximere noxę capitis reos, criminum impunitatẽ dare, vitæ, bonis famæque reſtituere? Principis an populi? [9] Vtrius æs, argẽtum, aurum flare, ferire? Hæ propriæ ſunt imperij notæ, hæc ſupremæ ditionis ſymbola, quorũ nihil à quoquam ſine capitali ſcelere, præterquam à ſolo principe vſurpari poteſt. Tu verò quod imperij maximum eſt adimis regi, ac multitudini legum ſummam aſcribis. Quod ſi ita eſſet, eóque iure maiores noſtri vixiſſent, & armorum & ęrarij ius omne, atque adeo magiſtratuum inſtituendorum, iuriſq; dicendi poteſtatem, ſibi iandudum aliquã legẽ vindicaſſent. Aut certè rex, armorum & ærarij potitus, cùm cæteris rebus quæ ſummi ſunt imperij triumpharet, populariũ legum vincula ferre non potuiſſet, ac tantam poteſtatem multitudinis arbitrio coërceri.

6 *L.* ex præſtatione. D. de vectig. tit. quæ ſunt regal. in feud.

7 *L.* 1. C. vectig. nou. impon.

8 L. inter publ. ca, d. de verb. ſign.

9 *L.* 1. §. vlt. de quæſt. *L.* relegat. de pœn. *L.* acta. §. de ãpliãda. *L.* iudex. *L.* paulus. de re. iudic. *L.* 1. parag. an autem de poſtul. *L.* 1. C. de ſer. paſſ. Apuleius lib. 10. de aſin. aur. & lib. 5. flor.

CAPVT 13.

At quid abſurdius dici poteſt, quam iuris dicendi regem, legum ferẽdarum auctorẽ eſſe populũ? Nihil, opinor, niſi fortè illud quod pòſt ſubiicis, legibus inter ſe pugnãtibus, aut non ſatis perſpicuè cauentibus, non regem, nõ populũ interpretem adhibendũ, ſed iudices, aut fori cõſultos, & quod regi negas hominibus inferiorũ ordinũ permittis, plærúmq; non tam veri, quam litigandi ſtudioſis. Sed vide quã ridiculus es. Pugnãt verba legis cum ſententia latoris, aliud ille vult, aliud verba ſonant, qui verborum interpres erit? Nõ is qui protulit? Alij mea ſentẽtia notior eſt, quã mihi? Cur igitur alium meæ voluntatis interpretem quæris? Populũ legumlatorem inſtituiſti, quẽ earum interpretatione ſpolias, cùm eam facultatem forẽſium rerum peritis adiudicas. Non attẽdis legis interpretationẽ legis vim obtinere? [1] Suæ ſentẽtię interpres eſt iudex, [2] cur igitur alius interpres legis, alius auctor adſciſcitur? Si populi non eſt leges interpretari, falſò legẽ definiuiſti ius illud quod populus ſciuit. Eius enim interpretãdæ legis poteſtas eſt, cuius eſt condendæ. [3] Quo fit vt cùm ſolum regẽ legumlatorem agnoſcamus, nec iudicum admittamus, nec populi, nec ſenatus interpre-

pag. 34.

1 L.vlt.C. de legib. clement. c. vni. §. ex modo de verb. ſign. Bart. ad L.1. C. de legib.

2 L.1.§. vlt. de præt. ſtipul.

3 L.cum de nouo. & D.L.vlt. C. de legi. DD. ad L. 1. cod. ſpecul. tit. de arbitr. §. ſeptimo. panor. ad cap. 1. de conſtit. nu. 14. 15. 16.

tationem, niſi regis auctoritate ſancitã. Nam id ciuilis ſcientiæ præceptis edocti ſumus, quod & omnium cõſenſu regnorum in vitæ ratione probatum eſſe videmus, vt ſi quid emergat ambigui, quod certam interpretationẽ deſideret, id per iudices ad principem referatur, & auguſta enodetur auctoritate, cui ſoli leges & condere, & interpretari conceſſum eſt. [4] Rectius ænigmata legum ſoluet priuatus homuncio, quam is quem ſolum legiſlatorem eſſe voluit numinis prouidentia? Sed tu propter ea quæ iam olim ſecuta ſunt incommoda, regi facultatẽ hanc inuides. Nã in decemuiratu legem tulerat Appius Claudius æquiſſimã, vt in liberali cauſa vindiciæ ſecundum libertatẽ darẽtur. At eam legem interpretando fecit inutilẽ. Interpretationẽ vocas euidentẽ legis euerſionẽ & manifeſtã iniuriam? Perſpicua legis verba nullum dubitandi locum reliquerant, ſed Appius æſtu libidinis inſaniẽs, cõtrà quàm lege iuſſerat, à Virginio filiæ vindicias abdixit: quas cũ ſecundum libertatẽ dici oportuiſſet, ſecundũ eum qui in ſeruitutẽ ſuppoſitus ab eo petierat, pronunciauit, & malitioſè legem, non, vt tibi videtur, interpretando, ſed euertẽdo, fas nefas, ius iniuriam miſcere nõ dubitauit. [5] Ac nihilo magis ad rem pertinẽt ea quæ ſequũ-

4 D. L. vlt. & L. 2. § ſi quid verò C. de vet. iur. enucl.

pag. 35.

5 L. 2. parag initiũ. D. de orig. iur.

tur factorum exempla, quibus pontificem Romanũ ſcelerate ac perfidè, ne dicam impiè, calumniaris. Nec enim Henricum Lucemburgium ille veneno ſuſtulit, nec ſacrilegum illud facinus & impium interpretatione ſiniſtra legis euangelicæ commiſſum fuiſſe, præter veſtræ factionis damnata capita, quiſquam aſſeuerauerit. Noſtrorum enim hominum, quos improbi ſycophantæ glorioſo papiſtarum vocabulo traducitis, neutiquàm id ſceleris patronũ inuenit vllum, qui lege factum excuſaret. Quod de Pipino refers in Childerici locũ ſubrogato, nec id quidem Romani põtificis iudicio magis, quam nobilitatis Gallicæ precibus & optione factum norunt omnes, qui Gallicarum rerum monumenta perlegerunt. Quin & ipſe pòſt
pag. 80. huius facti populum auctorem laudas, ac iure feciſſe contendis, quod nunc parum tibi cõſentiens, odio pontificis, iniquiſſimè criminaris. Quid verò ſi populo minus annuẽte pontifex Galliæ ſceptra Pipino regenda commiſiſſet? Nihil cuiquam feciſſet iniurię, cum regis abdicãdi iuſtiſſima cauſa ſubeſſet põtifici,[6] quę populo nulla vnquã offerri poteſt. Sed Ferdinandus Arragonius pontificis interdicto Nauarri ditionẽ occupauit. Quid tum? Ecquid enim aliud iuris ea re pontifex

6 Can. alius 15. quęſt. 6.

vſurpauit, niſi quod Chriſtianis hominibus ſolenne ſemper ac vſitatum fuit? Quid hoc eſt noui, cùm vel Ambroſio referente, veteri iure donata legamus à ſacerdotibus imperia? Teſtis Saul, teſtis Dauid, teſtis Ieſu, Hazael, & alii iudæorum, Iſraëlitarum, & Samariæ reges. Cur igitur damnas in pontifice, quod in recentis ſectæ veſtræ miniſtellis probas? Quotidiana ſunt exempla, magno ſanctorum hominum, ac de religione rèque publica rectè ſentientium, damno probata. Nam illi ſimulatque ſacris ſuis interdixerunt, continuò bonis interdicti manus iniiciuntur, ac ni ſolum vertat, vel fame, vel corporis cruciatu perit. Tu ligandi, tu ſoluendi poteſtatem, quam vocant, impij apoſtatis concedis, quam Eccleſiæ principi, quã Petri legitimo ſucceſſori negas. Ac ne mendacio tibi hoc à me impoſitum aut confictũ conquerare, audi tuam ipſe ſentẽtiam, quam in vltimo penè dialogi veſtibulo protuliſti. *Ad rem autem quantum intereſt, an extra ciuitatem Chriſtianam pellaris, an igni & aqua tibi interdicatur? Magiſtratibus enim omnibus aduerſus eos, qui facere imperata recuſant, hoc grauiſſimum eſt decretum, vt & illud Eccleſiaſticorum. Vtriuſque autem imperij ſpreti pœna mors eſt: ſed alter corporis, alter totius hominis interitum*

Epiſt. 33.

Pag. 101.

denunciat. Igitur eccleſia (quæ multo leuiora crimina morte puniẽda cenſet) quem viuum è cœtu bonorum expellit, mortuum in cœtum cacodæmonum relegat, non eum morte dignum exiſtimabit? At verbis tuis inquies hoc iuris eccleſiæ permitti, non hominibus: nos verò ſacrorum legũ interpretationem vni papæ concedere. Falſum hoc & impium. Nec enim Chriſtianorũ ille pater in terris vnquam ſibi poteſtatem hanc arrogauit, nec quidquam in religione ſtatuit, quod non fuerit prius in auguſto Chriſtianorum hominum cœtu, vel ſi mauis, eccleſia, definitũ. Sed ne calumniis immoremur, legẽ ſcire aueo, cuius peruerſa interpretatione Romanus pontifex effecit, vt filius in patrem, ciues in regẽ arma impia ſumpſerint. Sed non te pudet arma nobis obiectare, vnicum veſtri cacangelii præſidium?

Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo,
Cùm fur diſpliceat Verri, homicida Miloni,
Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum?
In tabulam Syllæ ſi dicant diſcipuli tres?

Quod ſcelus veſtræ ſectæ propriũ eſt, id põtifici tribuitis. Pontifex in Hiſpani regis interitum filii gladium exacuit? Pontifex, an Caluinus id parricidii filio perſuaſit? Pontifex in necem matris filium, vnius anni puellum armauit? Pontifex principem ſuum antequam

naſceretur,vnà cum patre, cum matre iugulandum curauit?Pontificis auctoritate tyrannus ſcotiæ regnum inuaſit?matrem principis exilio,patrem incendio, proximum quemque vel gladio,vel veneno ſuſtulit? Pontifex vrbes & arces Scotiæ munitiſſimas Anglo diruendas præbuit? centuratis in noſtrum exitium hoſtibus Scotiæ, regnum prodidit? Hoſti ſupplicum vitam auro vendidit? Nobilium ædes incendit,plebem ſpoliauit,ſacrum principis patrimonium,ac regiam gazam diripuit,focis & aris bellum intulit, maiorum ſepulcra violauit,numinis ſacraria deprædatus eſt,omnia monumenta vetuſtatis aboleuit, Pontifex harum tragædiarum auctor fuit, quarum incendio quod reliquum eſt orbis Chriſtiani tot annis penè cõflagrauit: Pontifex harum coniurationum architectus eſt,quibus Scoti, Galli, Flandri quotidie cõflictamur:An non iſta omnia, multóque maiora, Caluini ſcholę tribuenda ſunt: Cuius tota propago ſemper.

Contẽptrix ſuperûm ,ſæuæque auidiſsima cædis,
Et violenta fuit:ſcires è ſanguine natam.

Hiſne cœpit initiis Chriſtiana religio, quibus vos terrarum orbem afflixiſtis : Pacificus ille rex dei domũ extruxit lapidibus dolatis atque perfectis,[7] in qua nec malleorum [7] Reg. lib. 3. Cap.6.

nec ſecurium ictus auditi ſunt. Id alitem pacis, id patientiæ ſymbolum erat, non ferro, non armis, ſed malorum tolerantia, ſanctitate & innocentia vitæ eccleſiam Chriſti coaleſcere. Id inſtituto vitę ſuę docuit ipſe Chriſt⁹, verbis imperauit, morte ſanxit. Quod apoſtoli, prophetę, martyres, ſanctiſſimi pontifices, ſacerdotéſque noſtri, ducis imperatoríſque ſui veſtigia ſecuti, conſtantiſſimè retinuerunt qui ne capitalibus quidem inimicis vnquam imprecati ſunt, nedum legitimos principes, ac iudicio dei conſtitutos ferro ignéque perſequerentur. Sed cùm ob oculos eculei, cruces, vnci, & tunica illa alimentis ignium illita & intexta verſarentur, cum flagris cæderentur ad necem, truncatentur membris, ſerra diſſecarentur, flammis arderent, viui diffinderentur, tyrannorum & carnificum ſanguinarios ſpiritus modeſtia ſua retundebant, veniã illis ac pacem à deo precati. His noſtra religio cœpit auſpiciis: vos cum Abſalone ſeditioſo ac perdito adoleſcente religionis ſpecie rebellionem & perfidiam adumbratis, regna captatis, iuſtis regibus fugam & interitum, parentibus necem & exitium, patriæ ruinam & extrema quæque meditamini. Chriſtus pedum pulucrem excuti iubet aduerſus eam ciuitatem, quæ diſcipulis ſuis ne-

garet acceſſum:vos malitioſa legis huius interpretatione,tormentario puluere ciuitates euertitis,quæ perpetuo ſacramento iuſtis dominis,ac regibus obligatæ, veſtra detrectant imperia,publicæ pacis & tranquillitatis inimica,furoris genio nunquam non turbarum materiam ſuggerente. Quò fit, vt non modò pacem & otium, ſed ne bellum quidem vnquam niſi nefarium & impium appetatis, ac dum terrenis inhiatis imperiis,parum admodum cœleſtia moremini. Ne nobis igitur ſeditionum ac tumultuum cauſas imputate,ne veſtris nos criminibus vrgete. Teſtes ſunt tot regnorum in orbe Chriſtiano rùinæ,peruerſa cœleſtium oraculorum interpretatione,non per Romanum pontificem in maiorum ſuorum poſſeſſionibus hærentem,ac veteris tuentem patrimonii fines, ſed per vos noua per vim & inaudita molientes,excitata incendia,quæ pii principes vitæ fortunarúmque omnium periculo reſtinguere conati,nihil porrò multorum annorum iactura profecèrunt.

Cap. 14.

SED non vacat hiſce rebus enarrandis diutius immorari,ad ſe reuocant tuæ calumniæ,quibus Chriſtianorum illum parentem

dò caſtos eſſe,verumetiam continẽtes epiſcopos,quorum curę tot hominum ſalus incumbit.Incontinentiam autem arguunt iteratæ nuptię. Negat igitur Paulus humanæ ſalutis procurationem iis eſſe committendam, qui ad ſecunda vota conuolarunt.Quæ ſentẽtia vel ex eo colligi poteſt,quod ait in eccleſiæ miniſterium eas ſeligi viduas debere,quæ vnius viri fuerint vxores. 5 Vtraque nobis interpretatio placet, ſed illa prior dogmatica videtur,& moribus accõmodata, hæc etiam verbis apoſtoli conſentanea. Vtraque tamẽ ad menten auctoris propius accedit,vtráque Chriſtiani perſona dignior eſt,quam antiſtitis illa veſtri,qui ſuperioris vitæ maculis infamis,effœtus ſenio,libidine fractus,cum tamẽ alteris nuptiis diem dixiſſet, adhuc vetere ſcabie conſuetáque lue pruriens, Iudæorum πολυγαμίαν apoſtoli ſentẽtia dãnari pronunciauit. Vetari enim ne quis Chriſtianorũ cœtui pręficiatur epiſcopus, qui binis eodem tẽpore votis implicetur. Quod ſi ita res habet, fruſtra epiſcopi meminit,cùm ea Chriſtianorum vulgo non minus quã epiſcopo denegetur. Nec enim id citra flagitii notã,aut adulterii nobis euaderet. Nec certè Paulo ſacerdotũ officia deſcribẽti negotiũ faceſſere debebat, quod ſatis ſupérq; profanis legib[9] erat inter-

Hieron. ad cap. 1. epiſt. ad Titum. Auguſt. de bon. coniug. cap. 18. Chryſoſt. hom. 2. ad Titum.

5. ad Timoth. 5.

6 dictum.[6] Vos tamen publicis miniſtrorum
L.1.ad fin. veſtrorum comitiis, vt incontinentiæ præſu-
D. de his lis veſtri, ac effrænatæ libidini ſatisfaceretis,
qui not. in hanc ſanctiſſimi viri mentem atque ſenten-
fans. L.2. tiam eſſe voluiſtis, ne quis bina ſponſalia, bi-
C. de in- náſve nuptias eodem tempore conſtitutas
ceſt. nupt. haberet: licêre porrò tot vxores ſubrogatio-
L. cum C. ne, quot libêret in demortuarum vicem ad-
ad leg. ſciſcere. Quod ordinis veſtri decretum in
Iul. de a- Knoxii gratiam audio ſenatus etiam auctori-
dult. tate firmatum, quòd ea res ornamento futu-

ra eſſe recens natæ religioni videbatur, & ec-
cleſiæ nuper apud vos inſtitutæ, ſi maiorum
gentium puella patriarchæ veſtro, quamuis
impuro ganeoni, deſponderetur. At quam
male feriatus erat ſenatus, ſi in illo regno tot
vocantibus ad ſe negotiis, tempore perſoná-
que abuſus eſt ſua, procurando viliſſimi apo-
ſtatæ ſilicernio? Equidem adduci facile non
poſſum, vt mihi perſuadeam id actum in ſe-
natu, aut tot primæ notæ viros in id fla-
gitii fuiſſe prolapſuros, vt infimi ordinis
homuncioni lenocinium facere videren-
tur. Sed vt res habet, impoſitum eſt apoſto-
lo, cui eam ſententiam affinxiſtis, vt antiſtes
ille veſter religionis ſecurus, alteris nuptiis
impune veneri litaret. Cuius exemplum ſe-
cuti inferiorum ordinum miniſtelli, quarta

quintá-

quintáque, aut iis etiam vlteriora vota non abhorrent. Quæ cum ita ſint, qua nunc fronte nobis inſultatis? Quid tam turpiter à nobis excogitatum eſt, vt inuerſo ſacrarũ literarum ſenſu ac detorto, flagitiis noſtris patrocinium extundamus? Nã quæ hucuſque protuliſti, nihil ad rẽ faciũt: ac multo minus illa quæ ſequuntur. Nã quòd Iulium eo nomine tertiũ ais ſimiæ ſuæ cuſtodem, hominẽ propè nequiorẽ beſtia nequiſſima, collegã ſibi in ſacerdotio cooptaſſe, nõ modò factũ eſſe, verumetiam legum noſtrarum interpretatione fieri potuiſſe nego. Quod ita clarum eſt orbi terrarum, vt huius calumniæ refutandæ moleſtia liberemur. Quin & id quod pòſt adfers de ſacerdotũ ſpuriis in eccleſiaſtica patrũ ſuorũ munera in fraudẽ legis inuadẽtibus, noſtrę diſciplinæ ſeueritatẽ arguit, qui quantũ in nobis eſt, fucũ legibus fieri vetamus. Quę verò ipſe per ſacerdotes in diſciplinæ fraudem excogitata cõminiſceris, non interpretatione legum, ſed abuſu fiunt. Quę cùm iudicibus inneteſcũt, non tam à vobis accuratè notãtur, quàm à nobis odio iuſtiſſimo ſeuerè vindicantur. Sed nunc non erat his locus,

amphora cœpit
Inſtitui, currente rota cur vrceus exit?

De iure regni apud Scotos tibi propoſita

erat omnis oratio, quorſum igitur nũc pontificię nobis obtruduntur leges? Noſtras enim audire aueo, ſi quid regũ interpretatione perperam ac ſiniſtrè factũ eſt, aut aliorſum malitioſè traductũ, quam regni iura patiuntur. Iſtius rei nullum planè verbũ, ſed cacangeliſtas veſtros imitari maluiſti, qui vbi propter inopiam, non argumenti, ſed doctrinæ, præſcriptã horam eximere dicendo nequeunt, in Romani pontificis auctoritatem, & ſacerdotum noſtrorum abuſus, in Hamiliones, in Scotiæ reginam, in Guiſios, in Galliarum, aut Hiſpaniæ regem, aut quem occaſio tulerit, in Chriſtianorũ principũ aliquẽ ſtrenuè debacchantur. Neque enim aliter hæc conſtant ſacra, quæ niſi conuitiis peragantur, & diris imprecationibus, Lindiorum inſtar pollui viderẽtur. Quid verò contumeliis in pontificem tuis effeciſti? Non eſſe principis legũ interpretationem? Alium eſſe legum latorem, aliũ interpretẽ? Minimè verò. Nã id tu probatum volebas, qui vtrãque principi facultatẽ hanc inuides, & latorẽ legum populũ, cauſarũ patronos interpretes admittis. Quod ex iis quæ adducti ſunt incõmodis minimè conſequitur. Quanto rectius noſtri, qui vtriúſque rei ſummam poteſtatem regi tribuunt? Id enim naturæ, id omnium gentium inſtitutis,

id diuinis humaníſq; legibus conſentaneum eſt, vt legibus ſtabiliatur imperium, non multitudinis, quam parêre, quam ſubeſſe principi, ſed principis, quem imperare, quem præeſſe populo iuſſerunt. Atqui ſi condere leges ſolius eſt imperantis, ſolius erit eas interpretari. Quę quoniam ex iis quæ dicta ſunt, ſatis ſupérque probata nobis arbitramur, ad proximum dialogi tui caput, in quo de tyrannis agitur, accedemus, ſi prius paucula diſcuſſerimus, omiſſa conſulto, ne ſuo loco refutata, ſuſceptæ diſputationis curſum, interrumperent.

Cap. 15.

AC PRIMVM quidem occurrit illud, quod ais, vereri te, niſi ſuffragiis electũ regẽ habeamus, ne legitimũ vllũ habituri ſimus. Legẽ more tuo populi rogationẽ intelligis, legitima regna, quæ rogato populo & annuẽte deferũtur. Quaſi verò legitima nõ ſint quæ bello parãtur. Et tamen Romanorũ imperium legitimũ vocas, quod vi & armis quæſitũ fuit. Bella, ſeruitutes, captiuitates, manumiſſiones nulla lege conſtare putas?[1] Atqui non modo gentium iure conſtituta ſunt iſta, verumetiam numinis auctoritate recepta.

pag. 17.

Pag. 19.

1. L. ex hoc iure. D. de iu. & iur.

2. Auguſt. de ciuit. dei.lib.19. cap. 5.

Omnis victoria, inquit Chriſtianorum ille magiſter, [2] diuino iudicio victos humiliat. Quid verò, quòd regnorum quædam dono data ſunt, quædã teſtamento legata, quædam ſorte, quædã dolis & inſidiis, quædam hac, quædam illâ ratione primùm cõparata, deinde vel populi conſenſu, vèl longiſſimi temporis exceptione ſtabilita? Iſta omnia minus legitima pronunciaueris, qui tyrannorum genus quoddã etiã legitimũ dicere non erubeſcis? Sed nõ vacat hæc prolixiore diſputatione refellere, quæ cùm nota ſunt omnibus, tũ etiã à nobis, quantum occaſio tulit, ſuperius agitata.

pag. 21.

Quod ſequitur pluſculum difficultatis habet. *Non multum referre putas, rex, dux, imperator, an conſul vocetur, qui præſit, modo illud teneatur, eũ æquitatis tuẽdæ cauſa in magiſtratu eſſe collocatũ. Imperiũ enim modo legitimũ ſit, nõ eſſe quod de nomine eius contendamnus. Nã & quem nos Venetorũ ducem vocamus, eũ nihil aliud eſſe quã regem legitimum, & conſules primos non modò regũ inſignia, ſed imperium etiã retinuiſſe. Id modo interfuiſſe, quod nõ vnus ſed duo præerãt, quod etiam in perpetuis Lacedæmoniornm regibus fieri ſolitum non ignoramus, qui non in perpetuũ, ſed in annum creabantur.* Egregiè verò iſta, niſi rerũpubl. formas omnes cõfunderent. Nihil ſtatuis inter Scotiæ regem, Venetorũ ducem,

& annuos Lacedæmoniorũ reges; aut Romanorũ coſſ. diſcriminis? Scotiæ rex merũ ac ſũmũ habet in ſuos imperiũ: in ſuo regno, vt & reges cæteri, μοναρχίαν obtinet, nemini par, nemini ſecundus, nõ modo ſingulis ſuperior verum & vniuerſis, [3] Supremã ac ſolidã ſine prouocatione poteſtatem habet, nemini niſi ſuperis obnoxius. Nam ea conditio regnorũ eſt omniũ, vt poteſtatis huius atque ditionis vltimæ nulla particula diuidi queat. [4] Ex quibus intelligi poteſt, Venetorum duces, Romanorum coſſ. ac Lacedæmoniorum reges, quos vocas, non tã nominibus ab eorũ, quos noſtri reges appellant, excellentia & dignitate, quam re ipſa fuiſſe diuerſos. Nam quod ad Venetos attinet, non alio quam ipſorum teſtimonio nitemur, eorum duces magno procerum concilio ſubeſſe, [5] nec ſuo nutu rempubl. ſed alieno gerere: adeo vero ditionis omnis expertes eſſe, vt neque præhẽſionem, neque vocationem habeant, infimorum magiſtratuum inſignia. Cùm verò vel in publicis ordinum comitiis de republ. ſtatuendum eſt, vel de priuatis alicuius collegii rationib⁹ ſententia dicenda, nihilo plus habent ſuffragii, quam cæteri ciues, nullam ſententiæ prærogatiuam, niſi quod vmbella, tubis argẽteis, ſella aurea, aureo puluino præ cæteris emi-

3. Bald. ad L. exẽplo in fin. C. de probat ad L. precib. C. de impub. & al. ſubſtit L. ſancimus. C. de donat. & in cap. cũ veniſſent de eo qui mitt. in poſſ. zaſſ. conſ. 15. nu. 50.

4. Bald. ad L. ſi plures. C. de condit. in ſert. ad authent. hoc amplius. de fidei con. & authent habita. ne fil. pro pat.

5 Cõtarea.

nentes, primi ſuffragia ferēt. Lacedemoniis inane regum nomen erat, qui tātum abeſt vt regnarent, vt iiſdem legibus quibus cæteri ſenatores agerent, ephoris inferiores. Quod apparet ex eo, quod reges ephoris, regib' ephori non aſſurgerēt. [6] Hi enim rerum omnium ad ſe cognitione reuocata, quid in quaque re facto opus erat, quibus annis educēdæ copiæ forent, quo tempore velites, quo equitatus, quo grauis armatura, quo peditum acies promouendæ, atque earum rerum omnium modum regi præſcribebant. Iidem vt criminandi regis anſam arriperent, [7] nono quoque anno ſilente nocte de cœlo ſeruabant, & ſi ſtellam aliquā ſcintillantem, aut ex vna cœli regione in aliam declinantē animaduertiſſent, regē in vincula coniiciebant, quod in deos eum aliquid impiè moliri ſidera portēderēt. Eóque vel abire magiſtratu cogebant, vel in carcere detinebant, quoad Apollinis oraculo id quid erat oſtenti procuratum eſſe renūtiaretur. His accedit, quod ſi rex vocatus ab ephoris, vni atque alteri iuſſioni minus paruiſſet, tertium edictum peremptorium erat, cui niſi morem gereret, imperio cogi poterat, contumacia fraudi futura. Ecquam igitur in Laconum regibus illis tuis maieſtatis regiæ notam obſeruaſti? Qui tantum aberant

6. Plutarch. in præcep polit. & in apoph. Lacon.

7. Plutarch. in Cleom. & Alexād ab Alexandr. lib. 9. cap. 24.

à ſumma regni procuratione, vt alieno arbitratu ac libidine regerentur. Romanorũ primis illis coſſ. maior aliquanto poteſtas erat, qui, vt ait Liuius, [8] omnia regni inſignia tenuere, id modò cautum eſt, ne ſi ambo faſces haberent duplicatus terror videretur. Eorum cognitionem ſummam Fabius appellat, [9] qui non modò prætoris ſententiam reſcindere, ac ius illud quod honorariũ dicebatur, euertere poterãt, verumetiã prætori iuriſdictionem abrogare. [10] Hos Marc. Tullius in ſua re publ. regio imperio eſſe iubet, [11] quanquam Romanæ nulla, ſi lictores exceperis, regii imperii nota valuêre. Nam ipſi legum vinculis obnoxii, nullam iniuſſu populi nec figere, nec refigere poterant, nec bellum inferre, nec pacem, nec inducias ſancire, nec magiſtratum illum creare, nec rem à ſe iudicatam retrectare, nec crimina remittere, nec damnatos liberare, nec irrogatam augere pœnam, nec minuere, nec cõmeatũ exulibus dare, nec famę reſtituere, nec ærario, nec vectigalib⁹ manum admouere, nec quidquam aliud vel facere, vel faciendũ imperare, quod in regiæ dominationis argumentũ adduci queat. Quæ regibus omnia, multóq; maiora ſupremæ ditionis iure cõpetunt. [12] Verùm auguſtus ille magiſtratus, quem tu regem legitimum vocas

8. lib. 2. ab vrb. cond. in princ.

9. lib. 3. inſt.

10. Valer. lib 7. cap. 7.

11. lib. 3. de legib.

12. L. præfect. de minor. L. diui. de pœn. L. 4. L. ad beſtias. eodẽ L. ſolet. de offic. pro-

conſ. L. acta. parag ampliandа. de re iudic.

(quod reuerẽtiæ, quod obſequii ſuperiori imperio debiti teſtimonium erat) agens cum populo, ſtabat ſubmiſſis faſcibus, populus ſedebat: atque à tribuno plebis in carcerẽ obtorta gula detrudi poterat. Quod à M. Druſo tribunitiæ poteſtatis iure factitatum eſſe legimus, qui L. Philippum conſ. quia ſe in cõcione populi dicẽtem interpellaſſet, non per viatorẽ, ſed per clientem ſuum, adeo violẽter in vincula præcipitem egit, vt multus è naribus eius cruor perfunderetur.[13] Quid verò coſſ. tuis erat imperii? qui non modò capitali ſupplicio punire, ſed ne verberibus quidem nec obedientem & noxium ciuem coërcere potuerũt, nec iudicare, nec ſtatuere quidquam, quod non irritũ populi prouocatione redderetur.[14] Nã per populum multæ pœnæ certatio erat.[15] Quantum igitur aberat à regia poteſtate: quantum ab imperio mero: Id enim iuriſconſulti definiunt[16] gladii poteſtatẽ ad animaduertendũ in facinoroſos. Illi verò nõ modo gladio, ſed ne ſecuribus quidẽ ſuis, aut faſcibus vti, niſi populo iubẽte potuerunt. Apud nos autem quammulti magiſtratus inueniuntur, qui nec rege, nec populo rogato, qui ſine prouocatione, gladii poteſtatem exercent: hos tu legitimos reges appellabis: minimè verò: quia nihil proprium habent, ſed

13 Valer. lib. 9. cap 5.

14. L. 2. parag exactis de orig. iur.

15. Cicer. lib. 3. de legib.

16. L. 3. D. de iuriſd. an. iud.

mandato nituntur imperio. Quod quia mā-
datum eſt, merum eſſe non poteſt. [17] Hoc e-
nim ſolis competit regibus, quorum iſti ſe
mancipia profitentur. Nam in ſolis monar-
chis poteſtas ſumma reſidet, per quā ea quæ
iuriſdictionis maximæ ſunt explicantur. [18]
Quis enim ſani cerebri dixerit, alibi ſummā
fortunam, alibi ſummam poteſtatem inue-
niri? Et tamē hoc quidquid eſt imperij, quod
regali beneficio magiſtratibus delegatū eſt,
id eſt, à domino ſeruis indultū, infinitis par-
tibus & Venetorum ducum, & coſſ. Roma-
norum, & Lacedæmoniorum regum ditio-
nem excedit. Ne nunc igitur regum nomi-
nibus abutitor, ne legitimos reges appella-
to, quos ius gentium, quos nationum cōſen-
ſus, quos regnorum leges indignos regum
vocabulo cenſuerunt. Alioqui ſi auguſtum
hoc nomen, & diuinæ maieſtatis titulo pro-
ximum, magiſtratibus omnibus communi-
cando profanaueris, reuulſo ciuilis ſcientiæ
fundamento, nihil reliqui feceris, quod in-
ter paucorum dominationem, rempubl. &
regnum intereſſe queat. Sed tu legitimum
nullum cenſes imperium, niſi populare, cæ-
tera enim eſſe non æquitatis tuendæ, ſed vo-
luptatis, eóq; populi magiſtratus regum ap-
pellatione dignaris. Quaſi verò multitudinis

17 L. 1. §. qui mandatā & L. 3. D. de offic. eius. cui mand. eſt iuriſdict. Alciat. lib. 2. parad. cap. 6.

18 Oldrad. ad L. 3. de iuriſdict. om. iud. ſpecul. in tit. de iuriſdict.

imperiũ verbo, non re, differat à monarchia: quaſi non fuerit apud Romanos ſub regibus & coſſ. apud Lacedæmonios ſub regibus & ephoris, apud Venetos ſub regibus & paucis optimatibus, imperandi ratio diuerſa. Plato, Xenophon, Ariſtoteles, cęteríque politicæ diſciplinæ gnari, cùm res genere diſſimiles agnoſcerent, propriis iſta nominibus diſtinguenda cenſuerunt. Cum igitur nominum hanc contentionem vocas, non minus
pag. 26. abſurdus es, quam in eo quod Paulò pòſt egregiè tibi concluſum putas, *reges in iis quæ in prouiſione futuri temporis poſita ſunt prudentiores in conſilium aduocare, ac proinde in iis ſummam ſibi non arrogare poteſtatem, vt nec in iis quæ coniecturis colliguntur, teſtibus conuincuntur, qualia ſunt cædis, adulterij, veneficij crimina. Nam ea cauſidiorum ingeniis excutiuntur, eruuntur ſolertia, ac ferè iudicum ſententiis permittuntur.* Non vides quã iſta rectè conſequuntur? Quid ſi puer Andreapoli in ſancti ſeruatoris auditorio, vel Leonardi, cui pręfectus es, ſic ridiculè ratiocinarere? Prudentiorum conſilio rex legem ſancit, nihil igitur ipſe in ſancienda lege poteſtatis habet. Criminum cognitionẽ iudicib' permittit, ſe igitur ipſe imperio ſpoliat. Neſcis ea quæ prudentum conſilio ſtatuuntur, non ipſorum, ſed regis auctoritate vim

obtinere. Neſcis ea quæ mandantur iudicibus, mandantis imperio definiri? Quid quod magiſtratuum edicta, ſententiæ iudicum, & curiarum placita, regum nomen præ ſe ferunt, eóq; nituntur? Quid, quod procerum, quid, quod prudentiorum haud expectato conſilio rex legem ſancire poteſt?[19] Qua ex re intelligi poteſt, nihil eſſe illis imperij, præſertim meri. Hoc enim in ſolo rege ſubſiſtit, nec mandata iuriſdictione tranſire poteſt.[20] Quid verò quod nec iuris quidem dicendi poteſtas ipſorum propria eſt, ſed eius qui mandauit iuriſdictione funguntur?[21] Hæc vltra tuam crepidam ſunt, qui de regnorum iure diſputas, cùm iſta politiæ rudimenta minimè didiceris. Sed vtinam admonitus à nobis, ac velut iſta contumelia prouocatus, iuri des operam, vt veritate victus errorem tuum agnoſcas, vbi artis noſtræ principia, vbi hæc quæ modò retulimus prima, vera, certa perceperis axiomata. Quod Seruio Sulpitio vſuueniſſe legimus, qui cùm Quint. Mutium Scæuolam reſpondentem de iure parũ intellexiſſet,[22] illéque dixiſſet, turpe eſſe viro patritio & nobili ius in quo verſaretur ignorare, hac velut cõtumelia tactus Seruius, tantum iuriſprudentiæ ſtudij cõtulit, vt omnium iuriſconſultorum eloquẽtiſſimus, elo-

19 Iohan. Faber. in verb. alia autem inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil.

20 L. 1 & 3. D. de offi. eius cui mand. eſt iuriſd.

21 D. L. 1. §. vlt. Bald. in cap. cũ vicesimũ. in fin. col. 1. verſ. quæro quæ ætas. de offic. deleg. Alciat lib. 2. paradox. cap. 6.

22 L. 2. §. poſt hos. D. de orig. iur.

quentium iuriſconſultiſſimus euaſerit. Tu ſi minus hanc facultatem aſſequi potes, id vetante libitina, & pollinctoribus octogenariũ caput exigentibus, quod Seruius huius artis ignarus faciebat, idem tibi faciundum conſulo: peritos in conſilium adhibendos, doctorum ſententiam exquirendam, in ſapientum iudiciis acquieſcendum. Ille de tigno immittendo, de ruſticorum fortè, vel vrbanorum prædiorum iure, Scæuolæ negotium faciebat, qua in re ſi quid peccati fuiſſet, id modò præſtare cogeretur, quãti ea res eſſet, imò culpam facile deprecari potuiſſet. Tu verò nec rerum iſtarum gnarus, nec prudentiorum auctoritate fretus, de mutatione legum ac imperij ſententiam tuam ex periculo recitaſti. Quid ſi verbo duntaxat præ te tuliſſes ea, quæ libris publicè cõſignata monumenta tuæ temeritatis ad poſteritatem tranſmittenda curas? Quid ſi ne verbo quidem euulgaſſes, ſed animo tantùm & cogitatione complexus eſſes? Nihil tibi, ne quid grauius dicam, maiori fraudi eſſe poſſet, ad minuendam doctrinæ famã, quæ de te mortalium ſermonibus increbruit. Ecquis enim præ cæteris eximiè doctum putet eum, qui tam turpiter hallucinetur? qui tam male cohærentia ratiocinando connectat? qui tam

manifeſtè falſa perperam aſſerat? Nam vt illa ſuperiora parum aptè concluſa, ſic iſtud falſò tibi affirmatum aio, cum in ciuitatibus noua flagitia, velut vlcerum genera, quotidie proueniant, *nihil hic poſſe legiſlatorem, qui leges ad præſentia & præterita accommodat.* falſum hoc & ineptum. Nec enim ad præſentia, nec ad præterita leges accommodantur, ſed in futurum cauent. [23] Diſerta ſunt imperatorum verba, quos ipſe pòſt etiam atque etiam magnificè laudas, leges & conſtitutiones futuris formā negotiis dare, nec ad præterita facta reuocari. Verùm equidem ex animo tibi hoc quidquid erroris eſt condono, quod iratus ad ſcribēdum acceſſeris. Eſt enim hoc viris minimè malis inſitum vt (quod Epicuræis familiare fuiſſe narrat Mar. Cicero) [24] admodum iraſcantur. [25] Sed intereà,

Impedit ira animum ne poßit cernere verum.

Condono & illud quod pòſt ais, durum & inexorabilē eſſe debere nihilo minus bonū regem, quam bonam legem. Quod non modò rationi, ſed etiam vtilitati publicæ refragatur. Cum enim ſummum ius ſumma ſit iniuria, legem rex non aliter ac Lesbiam regulam, ad æquitatem inflectere debet, ac non modò verbis, ſed ne ſententiæ quidem legis ſtare, cùm perſonæ, rei, temporis, aut loci ra-

Pag. 27.

23 L. 7. C. de leg.

Pag. 92.

24 Lib. 1. de legib.

25 Ariſtot. in proble. ſect. 3. quæſt. 2.

Pag. 31.

tio recedendum ab ea ſuadet, aut aliud iuri, aliud æquitati conſentaneum. Ac eo cõſilio Romani propter vtilitatem publicam adiuuandi, ſupplendi, corrigendi iuris ciuilis gratia magiſtratum honorarium ſibi præfecerunt.[26] Tu verò qui nihil perſonis, nihil temporibus concedendum putas, nec regẽ exorari, nec legem mutari ſinis, humanarum rerum conditionem ignorare videris, quæ nõ modò perpetuum quidquam, ſed ne diuturnum quidem eſſe patiuntur. Leges enim ſi ſuppleri, ſi iuuari, ſi corrigi, ſi flecti, ſi mutari, non poſſent, fruſtrà de legumlatore, fruſtra de regis, fruſtrà de populi poteſtate dialog⁹ hic tibi fuiſſet inſtitutus. Tot enim legibus vetere memoria latis, hodie nec populo, nec regi nouarum promulgandarum facultas vlla ſuppeteret. Nulla vnquam lex antiquari, nulla aboleri potuiſſet, ſed viuerent adhuc maiorum inſtituta nobis, apud poſteros etiã noſtros ęuo ſempiterno fruitura. Vobis verò quorũ conatus omnes ad legũ mutationem, ad regiæ dignitatis interitum, ad reipublicæ ruinã nouis quotidie decretis aſpirãt, certiſſima peſtis, debitum audaciæ præmiũ, & rebellionis vltor gladius ceruicibus imminẽs, impune tot turbas eſſe neutiquã pateretur.

26 L. ius autẽ de iuſtit. & iur.

CAPVT 16.

HIs vtcumque de regum poteſtate & imperio delibatis,quę in altera libri tui parte de tyranno diſputantur facile negotium fuerit expugnare. Quod ad nominis ἔτυμον attinet, equidem Iohannem Auratum, virũ non modò Græcarum literarum, ſed & omnis antiquitatis ſcientia pręſtantiſſimum auctorem laudare non dubitabo. Qui cũ Vlyſſis errores ex Homero nobis in regia Pariſiorum ſchola interpretaretur, tyrãni vocabulum ἀπὸ τῶν τύρσεων deductum videri exiſtimauit,quod in turribus tyranni degerent, ac vi partum imperium munitiſſimis artium propugnaculis aſſererent. Nam tyrannum Græcis appellatũ video, qui citra populi cõſenſum in libera ciuitate dominũ ageret: aut qui poteſtate par cæteris ciuibus, vi ſummã rerum ad ſe pertraheret. Quod nomen initio minimè crudelitatis aut ſuperbæ dominationis erat, ſed honoris. Nam & Plato datis ad Dionyſiũ literis, hac eum perſona ſalutat, Πλάτων Διονυσίῳ τυράννῳ Συρακουσῶν εὖ πράττειν. Quin & ipſe cum reſcribit, hoc ſe titulo cõmẽdat, Διονύσιος τύραννος Πλάτωνι Bonis enim principibus atq; ſapiẽtibus, nec imperãtib⁹ niſi iuſta & æqua iſtud nominis tributũ fuiſſe videmus. Argumento eſſe poteſt illud Euripidis, Ἀνδρὸς δ' ὑπὸ ἐσθλοῦ καὶ τυραννεῖσθαι καλὸν

id eſt, Bono viro, etiam tyranno ſubeſſe pulcrum eſt. Pittacus & Periander, quos inter ſeptem Græciæ ſapientes vetus fama commemorat, hanc honoris præfationem haud refugerunt, ille Mitylenæorum, hic Corinthiorum libertate ſubacta. Quin & Dionyſius ille, de quo loquimur, imperij moderatione, iuſtitia, fide, virtute plæroſque ſuperauit, quos iuſtis regum titulis ſimplex & ſeuera nobilitauit antiquitas. Sed quia populariũ iniuria quæſitum erat imperium, veteres id à cæteris imperij generibus proprio nomine
pag. 50. diſtinguendũ eſſe putauerunt. Quod igitur ais, *Tyrannos & Græcis & Latinis vocatos fuiſſe, penes quos erat libera omnium rerum poteſtas, nullis legum vinculis adſtricta, aut iudicum cognitionibus obnoxia*, nihil ad rem facit, cùm & reges eadẽ poteſtate definias, ac nihil inter regẽ & ty-
pag. 20. rannũ aliud diſcriminis ſtatuas, niſi quod tyrannorum, quam regum nomen fuerit antiquius. Quod falſum eſſe nemo non ignorat, quamuis mediocriter in hiſtoriarum lectione verſatus. Salluſtius enim in veſtibulo cõiurationis Catilinariæ de regibus loquens, in terris, inquit, id nomẽ imperij primum fuit. Nec illud omnino verum eſſe conſtat, Græcorum Æſymnetas, & Romanorum Dictatores legitimos fuiſſe tyrannos, cùm tyrannis

nis merum fuerit imperium, & pleniſſima rerum omnium poteſtas nullo neque tempore neque modo definita. Illis verò delegatum erat imperium in aliquot annos, mẽſes, aut dies. Igitur ſumma rerum in populo delegante reſidebat, quod eius ea natura ſit, vt mandari non poſſit, quod ſatis ſuperque iam antè nobis explicatum eſt. Sed hoc erratum equidem tibi lubẽter ignouerim, quẽ in Ariſtotele viri πολιτικώτατοι iuſtiſſimè repræhẽderunt.[1] Illud verò tibi facile non cõceſſero, tyrannis ſucceſſiſſe reges, nomine blandiore, & mitiore imperio. Conſtat enim tyrãnorum quorundam mitius fuiſſe, quam multorum regum imperium.[2] Teſtes erunt multi Siculorum tyranni, qui ſapientiſſimè rempubl. geſſerunt, imo iuſtiſſimè regnarũt, ſi cum Tarquinio illo contendantur, qui tam perditè res Romanorum adminiſtrauit. Neque tamen hic tyranni, nec illi regum nomẽ adepti ſunt. Neque minore poteſtate Romanis hic, quam illi Siculis imperarunt. Tyrannum igitur priſcis mortalibus non imperij gerendi, nec adeptæ poteſtatis, ſed adipiſcẽdæ ratio faciebat. Nam qui libertate par cæteris, vi, dolo malo; occultis fraudibus & obſidiis ſibi reipubl. partes omnes arrogabat, qui in libera ciuitate ſolus vtramque paginã

[1] Lib. 3. polit. cap. 10.

[2] Plutar. in Timoleõte & Dione.

arbitratu ſuo faciebat, etiamſi religioſiſſimè iuſtiſſimèq; perſonam publicā ſuſtineret, nec vllam pœnitendę dominationis anſam ciuibus relinqueret, eum tamē tyrāni vocabulo nominabant. Quod cùm initio non tàm iniuriæ quàm honoris eſſet, progreſſu temporis odioſum, infame, deteſtandum euaſit. Cum enim homines maximis ingeniis præditi, ſibi ſuiſque ſtabilire vellent imperium, ſummæque fortunæ ſummam inuidiam comitem eſſe non ignorarent, periculoſam in pares dominationem, paucos amicos, inimicos omnes, quib⁹ vel res eſſet, vel ſpes bona, illorum augendis opibus hos vel morte, vel exilio multandos, nec aliter imperij ſe vitæque ſecuros vnquam fore animo proponerent, quoniam ciues ſuſpectos habebant oppreſſa libertate, peregrinos corporis ſui cuſtodes adhibere cogebantur, peregrina vrbibus & arcibus præſidia imponere, iis alendis noua ſtipendia exigere, noua tributa imperare, virginum, matronarū, parentum iuxtà ac liberorum abuti pudicitia, non modò ſuæ, ſed & militum ſuorum explendæ libidini. Quæ res effecit, vt & legitimi reges cùm abuti perſona publica cœpiſſent, & in iſtam barbariem degenerarent, odioſo tyrannorum vocabulo traducerentur, καταχρηστικῶς

id quidé & impropriè, imperij gerēdi ratione duntaxat, ſed tyrānidis cauſa minus obſeruata. Quæ te res in errorem pertraxit, vt cùm iure tyrannos occidi ſcriptum legas, eo nomine reges cōtineri putes iuſto flagitioſè, barbarè, crudeliter abutentes imperio. *Eos tu graui ſententia deo & hominibus habēdos inimicos pronūcias, ac in luporū alióve noxiorū animalium genere, potius quā hominū, habendos. Quæ qui alit, & ſibi perniciē alit, & aliis: qui occidit, non ſibi modò, ſed publicè vniuerſis prodeſt. Quod ſi tibi legē ferre licêret, iuberes (quod Romani in mōſtris procurandis facere ſolebāt id genus hominū in ſolas terras deportari, aut in alto procul à conſpectu terræ demergi, ne contagio etiam mortuorū hominibus officeret: interfectoribus autē præmia decerni nō ab vniuerſo tantū populo, ſed etiā à ſingulis. Quemadmodū vulgo fieri ſolet iis qui lupos aut vrſos occiderūt, aut catulos eorū deprehenderūt. Neque enim ſi quod huiuſcemodi monſtrū naſceretur, etiamſi vocē humanam funderet, faciemq; hominis cæterarúmq; partiū ſimilitudines habeat, tibi cū eo ſocietatē eſſe crederes, ac nihilo magis hominē appellandum, quam ſatyros, ſimias, aut vrſos, quamlibet vultu, geſtu, & ſermone hominem mentiretur.* Egregia verò ſentētia, ac Stoico viro digniſſima, niſi perturbati & offenſi neſcio quid animi præ ſe ferret. Non audiſti eos qui reipubl. præſunt legū ſimiles eſſe de- pag. 56.

bere, quæ ad puniendum non iracundia, ſed
[3] æquitate ducuntur? [3] Diſſimulare non potes
odium in principem cōceptum, ac tam altis
radicibus in pectore defixum, vt in filij quo-
que redundet caput. Excutiamus enim alle-
goriam illam tuam, nec verba, ſed mentem
atque ſententiam dicentis enodemus. Non
tātùm iis qui lupos & vrſos, ſed & iis qui eo-
rum catulos interficiunt præmia decerni iu-
bes. Lupos & vrſos tyrannos vocas, eorum
igitur catulos tyrānorum liberos intelligis.
Nec te legis huius auctorem accuſo. Erat e-
nim ea priſcis mortalibus ſolemnis & vſita-
ta, vt cum parentibus liberi quoque tollerē-
tur. Notus eſt ille tibi militum iocus occiſo
Maximino, ex peſſimo genere ne catulū qui
dem habendum. Quo dicto filium quoque
patri victimam addiderunt. Cùm igitur ma-
trem tyrannidis inſimules, ac lupi inſtar aut
vrſi tractandam cures, quidni de filio idem
ſtatuendum cenſeas? Sed hæc in ſpurij gra-
tiam diſputabātur, qui per id temporis Sco-
tiæ regnum occupabat, cum tu iſta commē-
tarere. Illum enim qui dolo malo, qui vi ar-
mata, qui procerum cędibus, ciuium ſangui-
ne, principum exilio, diuinis & humanis le-
gibus conculcatis tyrannidem inuaſerat, ty-
rannorum eximis numero, ac iniuria cæſum

[3] Cicer. lib. 1. offic.

Sext. Aurel. Victorin. epit.

autumas, principes autem numinis auctoritate conſtitutos, patriæ legibus receptos, iure omnium gentium regnantes, iuſta & ęqua præcipientes, infami tyrannorum appellatione ſugillas. Quæ res non obſcurè, nec tacitè loquitur, quod tu pudore magis aut ſupplicij metu, quam patriæ ſtudio tectum & occultum cupis: & animo magis obſequi te, quam veritati demonſtrat. Sed vt filio bene conſultum velis, cui nunc perduelles omnes adulamini, ac blanda regis appellatione redemptum parricidium, redēptum maieſtatis læſę crimen eſſe putatis, matris cauſam agamus, quam vos patriis legibus in ordinem coactam impudenter aſſeritis. Quamquam hîc, ſi penitius rem intueamur, nec matris, nec filij, ſed regum omnium cauſa diſceptatur. Nam ſi vobis contradicentibus digitum exerant, tyrannidis arguuntur, proſcribuntur, exulant, aris atq; focis excluduntur abiiciuntur in profluentem, veneno pereunt, ardent incendio, ferro mactantur. Tu verò percuſſoribus etiam præmia decerni iubes, haud ſecus ac vulgo fieri ſolet iis, qui lupos, aut vrſos, eorúmve catulos occiderunt. Popularis reipubl. præcipua lex erat,[4] *Priuilegia ne irroganto: de capite ciuis niſi per maximum comitiatum, ollóſque quos cenſores in partibus populi*

4] Cicer. lib. 3. de leg. & Demoſthen. in orat. κατ' Αρι-στοκρατ.

locaſsint, ne ferunto. Tu indicta cauſa regem à ſingulis interfici iubeš, ac interfectoribus ab vniuerſo populo præmia decerni. Viliſſimi cerdonis, ſcrutarij, baiuli, lenonis imo carnificis potiorem cauſam eſſe vis in democratia, quam in monarchia regis. In illa Romanorum & Athenienſium adhæres legi, ac cẽturiata comitia requiris, vt de ciuis capite cognoſcatur: in hac priuilegia pateris in necem principis irrogari. Quid enim ſceleris admiſerat optima princeps, quid ſponſus regius deliquerat, cum inconſulto ſenatu populoque Scoto pauculi perduelles ad lacũ Leuinum collocatis inſidiis, inter Perthum & Reginæ fretum, quod vocant, vtrũq; ſi non iugulare, certè perpetuo carceri mãcipare decreuiſtis? Cuius noxiæ reus erat is, quem hodie callido commento regem veneramini, vt eum matris aluo latentem abortù perderetis? Quò enim aliò nefanda cædes in conſpectu grauidæ matris admiſſa, vim & iniuriam deprecantis? Quò aliò verbera intentata, ſcloppi ænei, gladij pugiones admoti prægnantis vtero? Quo aliò poſt patratum parricidium violenta matris cuſtodia? ferro tollere poteratis, ſed nondum excogitata veriſimili mortis cauſa, populi tumultum verebamini. Non animus vobis, ſed occaſio dee-

rat, numine vindicem tot ſcelerũ nobis futurum è cruentis veſtris manibus eripiente. Quid tam grauiter à puerulo vixdum nato peccatũ fuit, vt eũ materno regno fraudaretis? Nam eò matris accuſatio, eò conflatum coniugij crimẽ, eò miniſtrorũ veſtrorum ad populum inſanæ conciones, eò libri de regum electione ſcripti pertinebãt. Iuris & æqui ſpecie ſpuriũ legitimi principis loco regnare volebatis: diuinæ leges & humanæ vetabant, legitimo principi ſtatus controuerſiam faciebatis. Nam eò crimine, quod emẽtiti eſtis, animus erat vobis matrem vnà filiúmq; regno ſpoliare, vt eò veſtræ factionis ſpurium intruderetis. Tacebo cætera quibus infantuli crepũdia perfidè ſugillabatis. Miſſa faciã ſecreta colloquia veſtra, præteribo rumores in vulgus immani temeritate ſparſos,

Quorum animus meminiſſe horret, luctúque refugit.

Sed vt illa vera fuerint omnia, nec parentes modò, ſed & filius adhuc vagiens in cunis tyrannum egerit, cuius ea de re cognitio eſt? A vobis in numerum vllo iure cogi potuerunt? Tibi quidem id videtur, qui non modò huius opinionis auctorẽ vllum, ſed ne probabilem quidem coniecturam habes, eóque facilius ſingularum quæ à te proferuntur rationum examinatione refelletur.

CAPVT 17.

pag. 58. IN primis autem plurimum tibi negotij faceſſit lex regia, qua iuriſconſulti affirmant omnē populi poteſtatē ita in principes trāſmiſſam, vt eorum placita pro legibus haberi debeant. Tu ſi rerum Scoticarū intelligentia valeres, huius legis aciē vno verbo facilè retunderes, quòd Romanis ea lata fuerit, non Scotis, qui ſuis viuunt inſtitutis, nullo vnquā æuo Romanis obnoxij. Quod quoniam tibi non venit in mētem, verborum ambagibus eludis argumenti vim quā fugere non potes. Ne iuriſconſultis quidē expeditum ais qualis illa fuerit lex, quādo, à quo, quibus verbis lata. Equidē tibi vix, ac ne vix quidē, aſſentior. Quanquam enim amiſſa iuriſconſultorum monumenta legis auctorem nobis minimè prodiderunt, eius tamen vim atq; ſententiam legum quas habemus rapſodiæ luculēter expediunt.[1] Nam Vlpianus libro inſtitutionū primo, *Quod principi placuit, inquit, legis habet vigorem, vt pote cùm lege regia quæ de imperio eius lata eſt, populus ei & in eum omne ſuū imperium & poteſtatem conferat. Quodcunque igitur imperator per epiſtolam & ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decreuit, vel de plano interlocutus eſt, vel edicto præcepit, legem eſſe cōſtat.* Titus[2] Liuius legē hanc ſimul cum ipſa vrbe natam

1 L.1.de cōſtit.princ. L.2.§.nouiſſimè. de orig. iur. L.1.§. cū enim. C.de vet. iur.enucl. L.ex imperfect.c. de teſta. L.1.D.de off.præf. præt. §. ſed quod principi. inſtit.de iur. nat. gent. & ciuil.

2 Lib.34.

eſſe dicit, ſed ex hoc Vlpiani loco aliiſque per multis, euincunt doctiſſimi viri ſub Auguſto repetitam, copioſiúſque ac ſubtilius perſcrip tam,[3] atque inde porro aliis deinceps imperatoribus principatum ineuntibus recitari ſolitam. Sed non eſt in eo poſita fortuna Græciæ: vna fuerit lex, quæ perpetua ſanctione Cæſaribus imperium firmaret, an verò ſingulis nouam poteſtatem adeptis noua ferretur, nihil ad nos, modo conſtet non ſolum Scotos, ſed & Romanos gentium dominos principem legibus ac populi poteſtate ſolutum habuiſſe, ne quis in poſterum ex Ariſtotelica politia nobis inſultet. Tu verò negas eam Romanis regibus vnquam poteſtatẽ fuiſſe, quippe à quibus populum appellare licebat. Falleris verò Buchanane. Stultum eſt, inquit Vlpian.[4] illud admonere, à principe appellare fas non eſſe, cum ipſe ſit qui prouocetur. Nè verò ad Hoſtilium recurras, & (quod vnicum famoſorum huiuſcemodi libellorum auctoribus argumentum eſſe video) factum illud ſingulare nobis obtrudas, ſic habeto. Tullus Hoſtilius rex legem horrendi carminis dictauit duumuiris,[5] ex qua Horatio perduellionem iudicarent, ſed ita vt ei liceret, ſi iudicio vinceretur, cum duumuiris populi prouocatione certare. Nouo quidẽ id Hoſtilius & re-

3. Strabo. lib. vlt.

4. L. 1. à quibus appell. non lic.

5. Tit. Liu. lib. 1. vrb. cond.

gibus inuſitato fecit exemplo, ne vel auctor eſſet ſubuertendi iudicij, ſi ſontẽ abſoluiſſet: vel inuidiã vſqueadeo triſtis ingratæque ſentẽtiæ ad populum ſubiret, ſi iure cõdemnaſſet. Cùm enim fortiſſimum virum, & libertatis patriæ vindicem, elapſum vitæ periculo cum ingente gloria, fortunę iniuria captũ, & ignominioſæ condẽnationis grauiore periculo circumuentum eſſe videret, poſt longã deliberationem, vt Dionyſius ait,[6] optimum factu viſum eſt, eam cognitionem ad populum referre; non quòd ea re populum ſua poteſtate vel ſuperiorem, vel parem agnoſceret, qui lege regia faſces principi ſubmiſerat, ſed vt vel iniuriæ, ſi nocentẽ liberaret, vel, ſi condẽnaret ingrati notã animi, atque popularẽ inuidiam à capite ſuo amoliretur. Nam alioqui conſtat ſatis Romanorum reges omnium litium iudicia, omnium criminum cognitionẽ ad ſe reuocare ſolitos,[7] ac primum omnium Seruium Tullium (qui propterea dimidium de regia poteſtate detraxiſſe dicitur) ſibi maieſtatis modò crimina reſeruaſſe, priuatarum perſonarũ quæſtionibus ad alios iudices delegatis. Quid, quod ipſe Hoſtilius populi iudicio nõ ſtetit? Nã de religione ſollicitus, ne diras ſceleris vltrices ab auctore parricidii in ſuam familiam auerteret, abſolutum populi

6. lib. 3. antiq. Rom.

7. Dionyſ. Halicar. lib. 4. T. Liuius. lib. 1.

ſententia iuuenem hoſtili more ſub iugum miſit. His adde, quod ea populi cognitio propria non erat, ſed mandata, idque vel ex ipſa horrendi carminis lege quiuis auguretur. Ea ſic habebat. *Duumuiri perduellionem iudicanto: ſi à duumuiris prouocarit, prouocatione certato ſi vincent, caput obnubito, infœlici arbori reſte ſuſpendito: verberato vel intra pomœrium, vel extra pomœrium.* Quod ſi non propria, ſed mandata populi cognitio erat, potuiſſet Horatius lata ſententia regem appellare, qui mãdauerat. Nec enim ea re merum à ſe rex tranſtulerat imperium, quippe qui iudicii formulam ipſe populo dictauerat, ſi duumuiri viciſſent, atque adeo ſentẽtiã ipſe iã lege pronunciauerat. S*i vincẽt*, inquit, *caput obnubito, reſte ſuſpendito, verberato*. Vides à rege haud aliter iſta populo dictata, quã poſteris ſæculis à prætore iudicii formula recuperatoribus, priuatis hominib⁹, præſcribi ſolebat. Cùm autẽ à dictatoribus appellare populũ minimè omniũ liceret, [8] ecquis à regibus prouocationẽ admiſerit, quorum poteſtas ſacroſancta ſemper habita fuit, & dictatorum poteſtate ſuperior? Sed vſque adeo tibi lex hæc regia diſplicet, vt in eius odiũ Iuſtinianũ optimum imperatorum omnium calũnieris, eo ſolo nomine, quod eã legem ſuis adſcripſerit, grauíque teſtimonio

8. *Liuius*, lib. 2. vrb. cond. Dionyſ. Halicar. lib. 5. Cicer. lib. 3. de legib.

comprobarit. Ingratæ crudelitatis in Belliſarium arguis. Aliud nihil eſt quod in eo crimineris? Cur non papiſtam, cur non idolorum, cur non mortuorum hominum cultorem appellas? Is enim Romanum pontificem ſacerdotum omnium principem, & Chriſtianorum patrem agnoſcit: & Romanam eccleſiam omnium ſanctarum eccleſiarum caput appellat,[9] litanias ac publicas ſupplicatio nes deo ſine cruce fieri vetat.[10] Id enim redemptionis humanę ſignum Chriſtianis gloriæ, vobis idolomaniæ tribuitur, vt & beatorum cœlitum appellatio, quam religioſiſſim⁹ imperator ſalutarem eſſe putauit: quippe qui ſanctæ virginis & dei genitricis Mariæ precibus apud deũ nititur, vt quod minus eſt reipubl. ſuæ per ipſum reſtituatur.[11] Eum igitur harum rerum inſimulare debuiſti, vt magnã apud tuæ farinæ cacangeliſtas, & nouos Plutonis apoſtolos, gratiam inires, ac non falſi criminis in Belliſarium meminiſſe, aut Tribonianum adulationis ac nequitiæ damnare, quem legem hanc tuliſſe putas, & eò adduci facilè potuiſſe, vt principi quoque peſſimo gratificaretur. Si quidẽ veri ſpeciem iſta præ ſe ferrent aliquam, ſi ſolus iuriſconſultorum Tribonianus, ſolus imperatorum Iuſtinianus legis regiæ mẽtionem inieciſſet. De qua no-

9. L. reddentes. C. de ſumm. trinit. & fide cathol.

10. Authent. ſed nouo. C. de Epiſc. & cler.

11. L. 1. C. de offic. præfec. præt. Afric.

bis hæc dicta ſint, tibi vel diſſimulata, vel minus intellecta.

Cap. 18.

SED redeamus ad noſtros principes, ad quos ſuffragiis regnum ais, non hæreditate peruenire. *Principes enim nobis ob virtutis opinionem delectos qui cæteris imperarent, populíque ſummam poteſtatem fuiſſe regum & creandorum & in ordinem redigendorum, vſque ad Kennethum tertium, qui primus regnum in ſua familia ſtabiliuit.* Reuoluamus hoc ſaxum quamuis ſuperiore diſputatione ſatis à nobis ſupérque verſatum. Ferunt noſtrarum rerum hiſtoriæ Ferguſium accitum ex Hibernia fatale marmor aduexiſſe, cathedræ forma, cui moris erat priſci Scotorum reges inaugurandos inſidere. Quæ cum eo venêre copiæ, non tanquã auxilium laturæ, ſed perpetuas in Scotia ſedes & tabulas habituræ, ſuarúmque rerum cõſtitutionem facturæ, vxores ſecũ paruóſque liberos cũ fortunis omnibus attulêre. Quod me valde mouet, vt credã regnum Ferguſio pactione delatum antequam patria diſcederet, aut in Scotiæ ſolo pedem figeret. Populus enim cum duorum potentiſſimorum hoſtium, Britannorum & Pictorum armis im- pag. 60.

parem ſe videret, nec aliunde quã ab Hibernis, gentilibus ſuis, auxilii ſpem vllam expectaret, non tã ſpontę iudicióque ſuo, nec tam virtutis opinione, quã vrgente ſtatus publici neceſſitate, ſe ſuáque Ferguſio ſubmiſit. Nec modò peregrinũ hominem regnare paſſus eſt, verumetiam ei liberiſque perpetuum ſpopondit obſequium.[1] Quod ſolemni ſacramẽto, conceptis verbis, ac diris execrationibus ſanciuit, ſe liberóſque ſuos in vltimam vſque ſobolem huius voti reos, nullo vnquam ſæculo præter Fergusium, aut Fergusiani ſanguinis regem admiſſuros. Hæc Scotis regia lex eſt, qua certò cõſtat adeptum populo ſuffragii ius, nec tabella regnũ, ſed lege deferri: nec quidquam ea in re multitudini reſtare poteſtatis, cùm agnationis iure ſanguini regio debeatur. Ac neſcio certe ſi ex omni hominum memoria princeps vllus fuerit, qui cũ noſtro de generis antiquitate certare queat. Nã ab hoc Fergusio, qui ante Chriſtũ natum anno trecenteſimo trigeſimo rei Scoticæ guberna cula ſuſcepit, Maria regina, mater illuſtriſſimi principis noſtri, diſtat in directo ſtẽmate, ſiue linea, quã vocant, gradu quinquageſimo ſeptimo. Nec ex eo tẽpore (ſi Nathalocum Argathelum, & Donaldum tertium Hebridanũ tyrannum, & ſpurios quoſdam exceperis,

1. Hect. Boeth. lib. 1.

qui regnum male partum breui tenuerunt) quiſquã præter Ferguſii liberos Scotis imperauit. Quæ res eo maiorem admirationẽ habet, quòd nulla gens tot tantiſque bellorum motibus agitata fuerit, ſiue domeſticas ſeditiones intueare, quæ plurimæ maximæque fuerunt, ſiue bella cũ Pictis, Britannis, Romanis, Danis, Noruegis, & Anglis geſta, quibus interdũ vſque ad internecionẽ propè alterutrius partis dimicatũ eſſe videmus. Quod ſi regnum hoc populi ſuffragiis cõmiſſum fuiſſet, fieri nulla ratione potuiſſet, vt tot ſæculis in vna Ferguſii gente perduraret. Alterum legis regię caput erat poſt Ferguſii mortem in iuriſiurandi fraudem excogitatum, *ne pueri regnarent*. Cùm enim ille relictis liberis deceſſiſſet, qui per ætatem habenas reipub. tenere non poſſent, in procerum comitiis decretum fuit, *vt filio demortui regis impubere, proximus agnatus ætatis integræ, populi cum regno tutelã ſuſciperet, quoad viueret ſumma rerum potiretur, eo mortuo, regnum ad regiã ſobolẽ ſine controuerſia rediret*. At ne hęc quidẽ lex ſuffragia tuetur, quæ legitimæ regum ſucceſſioni etiam atque etiam cauet. Sed inquies Fiduciarium illũ regẽ populi iudicio nominari. In quibus tandem rerum noſtrarum commentariis id obſeruaſti? Equidem inter proceres extincto rege grauiſſimas fuiſſe cõtentiones animad-

uium Tullium perfidiæ dãnemus, qui tutelæ gerendæ ſimulatione Tarquinii Priſci liberos, ſeu mauis nepotes, hæreditario regno ſubmouit, ad annalium noſtrorum fidem recurramus, in quibus tragędiarum plena ſunt omnia, quas poſterior iſta lex violata ſacramenti religione in hominum vitam inuexit. Nepotes auunculis, patrui nepotibus funeſtas inſidias ſtruxêre, patrueles inter ſe letali bello commiſſi, regum ac principum horrenda parricidia perpetrata, cædibus ac ſacrilegiis omnia completa. Ex quibus maximæ rerum mutationes deleta propè regum ſobole, & illuſtriſſimarum familiarum conſecutæ ſunt ruinæ. Vixdum lata lex erat, cùm maior natu Ferguſii liberorum patruo regi capitalia molitus eſt: eóque tandem ſublato, ipſe necis auctor in exilio periit. Reuther Nothatum patruum ſuum tyrannicè regnantem Douali conſilio peremit. Ferchardus Reutheri bellum intulit Scotis iuxtà Pictíſque fatale. Si quidem eo Gethus Pictorum rex occubuit, ac cęſis vtriúſque populi ducibus, ex infinita Scotorum Pictorúmque multitudine octingenti modò ſuperfuêre, cæteris ea pugna ad internecionem deletis. Britones occaſione freti vtrumque regnum milite vacuum occupant, & quod reliquum erat plebis indigna

ſeruitute premunt. Hæc nouæ legis initio no ſtram gentem infortunia tenuerunt, quid ſi cætera commemorem? Kennethus tot malorum impatiems (quanquam fortaſſe non magis regno, quam ſuæ ſoboli ea re conſultũ volebat) legem tot tragædiarũ cauſam abrogauit, liberíſque paternũ regnum aſſeruit, renouato ſacramento quo ſe maiores noſtri Ferguſianis obſtrinxerant. Eo violenter extincto, nihil antiquum iuſiurandum, nihil nouæ ſanctiones profuerunt, Conſtantino primùm, deinde etiam Grimo regnum occupante. Tandem inter hunc & Macolmũ pace firmata, legibus additum eſt,[3] vt regium nomẽ in Kennethi familia perſeueraret, eius caput cum fortunis ſacrum foret, ac læſę maieſtatis obnoxium crimini, qui legis per Kennethum antiquatæ memoriam populo refricaret. Idẽ Macolmo regnum ineunte repetitũ, ac omnium ordinum ſolemni ſacramento cautum, haud temerè pòſt à quoquam violatum eſſe videmus. Demus igitur tibi ante Kennethũ tertium populi ſuffragiis precario regnatum, & (quod falſo falſius eſſe rerum Scoticarum monimenta loquuntur) ſed quoniam ita tibi videtur (vtinam hac tãtùm hæreſi laborares) demus, inquam, quod probare non potes, tabellaria lege aliqua populo regis eligendi ius

3. Hect. Boeth. hiſtor Scot. lib. 11.

proditũ, quid eſt, quod ante ſexcentos plus minus annos ſolemnibus comitiis abrogatã, nunc tandem reſtitui velis? Odio dirumperis ſupereſſe nobis hoc quidquid eſt regiæ ſtirpis: ferre non poteſt animus inuitis furiis tot ſæculorum interuallo viuere valere Ferguſii ſobolem: nulla tibi poteſt eſſe iucunda lucis vſura, cum furoris genio minus ſatisfaciat, cui ſe Caluini ſchola deuouit. Maiores noſtri maieſtatis pœna teneri iuſſerunt eum, qui legis per Kẽnethum abolitę memoriam renouaret. Nihil hac cõminatione moueris? Sed vana ſint hæc omnia, largiamur tibi plura quam petas, maiora quã ſperes: fingamus ad Roberti primi tempora tabellam populo permiſſam, nec generi, ſed multitudinis optioni regnum deferri ſolitum, non tum ſaltem euanuit, cùm Scotica nobilitas, cùm populus vniuerſus in Angli verba iurauit? Robertus Scotiæ rex deſtitutus à ſuis, per omnia ferarum luſtra profugus, modò in hoc, modò in illo ſpecu non magis Angli regis, quam Scoticæ multitudinis metu latens, inædia, ſiti, frigore cõfectus, plærumque ſolus, plærumque vno vel altero comite lętus, baccis arborum, herbarúmq; radicibus, victu ferino vitã ęgrè tolerans, meliorẽ fati cõditionẽ expectabat. Quid intereà iuris erat Scotis? qui ſuperbæ

dominationis iugo preſſi commouere ſe non audebant, fidem & obſequium Anglo iurauerant, Anglorũ mancipia, legibus Anglicis ac ritibus initiata, Scotici nominis oblita viuebant, omnibus magiſtratuum inſignibus, libertatis priſtinæ monimentis, ac ipſo denique fatali marmore in Angliam aſportato. Robertus paucorum amicorum opera, iuſto bello ſuperbos fregit Anglorum ſpiritus, ac vbi non minus Scoto, quam Anglo debellãdo ſudaſſet, illud obtinuit imperii, quod quia ſuum erat, optimo iure tranſmiſit ad ſuos. Ex eo tempore Bruſianis hæreditario iure, non ſuffragio, regni gubernacula ceſſerũt, nec populus vllam in creando rege ſibi poteſtatẽ arrogauit. Qui ſi ante id temporis regis creãdi iure aliquo niti potuiſſet, Bruſii Balliolíque de regno cõtentiones, quarũ incẽdio res Scotica penè cõflagrauit, auctoritate ſua cõpeſcuiſſet, nec Edoardi Angli arbitrio dirimendas vnquã permiſiſſet. Quæ cum ita ſint, patere nunc Bruſii ſobolem iure ſuo, nõ alieno regnare, nec illi tua lege ius adimito, quod maiorum proprium fuit: nec populo regni ius tribuito, quod ipſius eſſe nunquam potuit: quod ipſius olim fuit, id amiſit: quod ſi ipſius eſſet, eo in perniciẽ ſuam abutatur. Nã ſi huiuſmodi poteſtatis aliquid in illa multorum

capitum bellua reſideret, cum ei pręſens conditio ſemper moleſta ſit, quotidiana principum abdicatione ſtatus imperii vacillaret, ac nihil cuiquam in vita certum & exploratum eſſe pateretur inſtabilis inſolentia. Hodie deferretur vni regnũ, cras alteri, prout quiſque vel pretio corruptus, vel ſpe falſus, animo vel in hunc propenderet, vel ab illo alienaretur. Quò fieret, vt breui quotidianis ſeditionibus omnia peſſumirent, ac tam diu ſuſpenſæ omnibus vitę rationes haberentur: quoad oppreſſo populo res ad vni⁹ rediret arbitriũ, qui eam in ſua gente hæreditario iure poſteris ſtabiliret. Populus Atheniẽſis ex quo ſub regibus eſſe deſiit, ſub quibus ætatem egit auream, nihil in imperio ſtabile retinuit, nullũ genus dominationis diuturnũ eſſe tulit: ſed cùm tædio præſentium noua quotidie moliretur, tandẽ anarchia periit. Cęcropis, Erichthei, Theſei, Codridarum ſalutaria moderatè paſſus imperia, ſub Piſiſtratis tyrannidẽ expertus, eã quadraginta virorum ariſtocratia mutauit. Pòſt paulò tantæ multitudinis faſtidio, decemuiris ſe commiſit. Sed nec his contentus, cùm ad extremum triginta ſibi tyrannos impoſuiſſet, orta confuſione ſine magiſtratibus egit. [4] Hoc enim popularis eſt incõſtantiæ, vt libẽtius audita viſis laudemus, [5]

4. AElian. lib. 15. var. hiſt.

5 Velleius Patercul. lib. 1.

præſentia odio, præterita veneratione proſequamur, & quod ait comic⁹, [6] noſtri noſmet pœniteat, nec in vlla vitæ conditione diu acquieſcamus. At longè clarius exemplum eſt reipubl. Romanæ, quam poſt exactos reges perpetuis ſeditionibus agitatā fuiſſe cognouimus, niſi quibuſdam interuallis, quibus ceſſarunt intēperiæ, cùm vnius imperio regeretur.[7] Nam de magiſtratuum electione, de legibus ferendis, de agrorū diuiſione, de nouis tabulis *S.P.Q.R.* diſſidēte, vagātibus ſicariis & modò hoc, modò illo procerū in comitio, in foro, in tēplo cadēte, & cū mutuis iniuriis creſcēte legū & iuris cōtemptu, ac malo in infinitū prorūpente, tandem exortæ ſunt in rēpubl. validæ coniurationes, nūc exulibus aut iudicio damnatis res nouas molientibus: nūc contendētibus inter ſe tam domi, quam militiæ proceribus de rerū adminiſtratione: nūc factioſis hominibus ad dominationē aſpirantibus, aduerſariorū tollendorū prętextu patriæ bellum inferebatur: omnia cædibus, omnią ciuium ſanguine redundabāt, quoad Sylla per vim rerum potito, pauliſper ceſſatum eſt à ſeditionibus, vnius imperio præſentibus malis remedium adferente. Is ſimulatque naturæ conceſſit, reſtituta plebi libertate, reipubl. vulnera recruduerunt, quoad Cæſar

6. Terent. in And.

7. Appian. lib. 1. bell. ciuil.

exemplo Syllæ perpetuus dictator creatus, modum ſeditionibus impoſuit. Eo mox ſublato redintegratæ ciuiles diſcordiæ, ne tum quidem aboleri potuerunt, cum Antonius, Lepidus & Octauius Romanum imperium, tanquam priuati ciuis patrimonium, inter ſe partiti ſunt, quoad hic cæteris prudentior illum Africa, hunc Ægypto profligauit. Qui confirmata demum longo tempore potentia, ſublatis populi ſuffragiis, cum fortunatus per omnia, & auguſta maieſtate reuerendus ſtirpem ſucceſſorum poſt ſe tanto parem imperio reliquiſſet, effectum tandem eſt inſolentia populi repreſſa, tabellarum poteſtate concultata, compoſito ſtatu reipupl. ne rerum ſumma fluctuaret, atque pro ſeditionibus concordia ſubiret, ad vnum reuerſo rerum arbitrio. Infinita ſunt harum rerum teſtimonia, quæ nihil hic attinet inculcare, ſuo loco reſeruata pluſculum ponderis ſunt habitura.

Cap. 19.

AD KENNETHVM redeo, quem tu primum in familia ſua regnum ſtabiliſſe narras, quanquã non es neſcius ante Kennethũ ſucceſſionis regię legem fuiſſe, qua parentum regno liberi, modò ne pueri, perpetuò

fruerentur. Nũc verò Kennethũ accuſas, quaſi legis de ſucceſſione regia latorẽ, atque hac tãdem ratione factũ id oppugnas. *Kennethus* pag. 62. *liberis ſuis regni ius vel inuito populo extorſit, vel à perſuáſo impetrauit. Sed vtrouis modo partum imperium, retineri non poteſt. Nam ſi vi coëgit populum ſibi parêre, populus iugum excutere poteſt, vbi primum ſuis viribus cœperit confidere, cùm à regibus & populis recepta iura pronuncient, & natura clamet, quidquid per vim fiat ſimili vi ſolui poſſe. Si verò populus fraude circumuentus in ſeruitutem ſe ſe dedit, ei iura dant reſtitutionem in integrum, quam pupillis, eiſque perſonis non negant, quas optimo iure eſſe volunt. Quis enim cœtus iuſtius reſtitui, quam populus vniuerſus poſtulet? Cui cum ſit iniuria: ea non in vnam aliquam ciuitatis partem, ſed in omnia ciuilis corporis mẽbra latè permanat.* Egregiè quidẽ iſta, & in ſpeciem argutè. Naturæ ius eſt, vt vis vi retũdatur.[1] Sanè quidem. Nã id natura docuit, omnia animalia, quibus ad reſiſtendum iniuriæ ſua bilis ineſt, vt vel in muſcis & formicis perſpicere licet. At quo tandem iure factum tueri poſſunt homines, quod belluino more perpetratur? Iuris enim aut iniuriæ vocabulum in belluas non cadit.[2] Ius eſſe certè non poteſt, vbi nulla communio eſt.[3] Ecqua verò naturæ cõmunio, quę ſocietas nobis cum

1 L. vt vim D. de iuſt. & iur.
2 L. 1. ſi quadrup. paup. fec.
3 Ariſtot. lib. 3. ethic. Nic. 3. Cicer. lib. 1. de legib.

mutis animātibus intercedit? Societatis humanæ principia ſunt ratio & oratio, quibus illæ deſtituuntur. An quia beſtiæ naturaliter corpora commiſcent, in hominibus naturæ legi conſentaneam eſſe dixeris quancunque corporum coniunctionem? [4] An quia feræ venatoribus obſiſtunt, & vim vi propulſant, iure naturæ magiſtratui reſiſtitur, debita legibus ſupplicia decernenti, vel ſi mauis, etiā iniuſtam vim inferenti? [5] An quia belluæ naturaliter edunt, bibunt, dormiunt, hominibus gulæ ſeruientibus naturæ ius patrocinabitur? Abſit vt animum humanū iſta ſubeat cogitatio. Homines igitur inſita vindictæ cupiditate & ira, quam cum belluis communē habent, cùm vim vi defendunt, naturæ legē patronam accire non poſſunt, ſi minus id ratione faciant, qua ſola naturam hominū metiri debemus. Si quid hominum inſtitutis, ſi quid more ciuitatis, ſi quid gētium iure prohibitum eſt, nullis interdictis ad naturæ ius recurretur, præſertim cuius participatione cæteræ quoque animantes cum hominibus cenſentur. Atque vt ab illa cōmunione recedamus, & leges humanæ naturę proprias cōſideremus, has etiam ciuilibus inſtitutis aſſurgere neceſſe eſt. Naturę vox eſt, ne quis ex alterius incommodis ſua cōparet commo-

4 L. ſemper de rit. nupt.

5 L. Iniuriarum. §. 1. & § ſi quis D. de iniur.

da:ne quis cum aliena iactura locupleretur.[6] Et tamen hæc lex vſucapioni decedit, quam ciuile ius introduxit. Natura libertatem omnibus hominibꝰ indulſit: verùm humana iura ſeruitutem admiſerunt. Cur id? quoniam hæ duæ leges naturales ſuperiori parent, quæ ſocietatē hominum inter ipſos omni ratione coli ac retineri iubet. Hęc ſuprema lex eſt quæ vſucapione fortunas & poſſeſſiones:[7] ſeruitute libertatem hominibus ademit.[8] Huius legis dicto magis, quam illarum audientes eſſe debemus, cuius obſeruatio rerũ publ. omnium & legum finis eſt. Ea ciues nõ minus regum quam legum dominationem moderatè ferre iubet: vim, perfidiam, ac rebellionem in dominos vetat. Quin & dominio rei controuerſo, litium ſeminaria præcidit,[9] ac ne quis rei ſuæ curã abiiciat, aut eam perire ſinat, incertꝰ ſua futura ſit, nec ne; ſollicitudinem hanc & ſcrupulum animis eximit, annorum aliquot poſſeſſione dominum declarans, quē vult vſu rem acquirere, id eſt, poſſeſſione ſuam facere.[10] Eóque M. Tullius vſucapionem finem ſollicitudinis ac periculi litiũ,[11] & Caſſiodorus, vir cõſularis, Theodoſij ſenioris legem de triginta annorũ præſcriptione humani generis patronam appellat. His ita conſtitutis fingamus Kenne-

6 L. Nã hoc naturæ. D. cond. indeb. L. iure naturæ. de regul. iur.

7 L. 1. & tot. tit. D. de vſu. cap.

8 L. Manumiſſiones. de iuſt. & iur.

9 Theophil. tit. de vſu cap. L. 1. D. eod. L. vlt. pro ſuo.

10 L. 1. 19. 21. D. ex quibus cauſ. maior

11 In orat. pro Cæcinna.

thi liberis vi partum imperium, id nunc tot ſæculorum interuallo ſimili vi repeti poteſt? Reclamant leges quæ regnum præſcriptum, vel ſi mauis, vſucaptum, id eſt, longiſſimi tẽporis poſſeſſione quæſitum eſſe loquuntur: Kennethos dominos agnoſcunt, nõ iam vi, ſed iure ſuo regnantes: conſtitutum imperiũ litibus atque iurgiis agi rapi vetãt: ſummam humanæ ſocietatis legem iniuſta vi turbari non patiuntur. At vis imperij cauſa obtẽditur. Quid tum? Euanuit illa tot annorum lapſu quibus lege regnatur. Ne nunc igitur nobis belluarum illud ius obtrudito, quod nihil ad rem facit. Nam ſi nunc tandem armis Kennethi ſobolem appetamus, non vim vi, ſed ius iniuria repellemus. Neque enim noſtris tantùm inſtitutis, ſed & iure gentium ei parêre & obſequi tenemur, quibus ab illa ferarum communione longiſſimè receſſimus. At verò ne præſcriptioni tantam vim à regibus, imperatoribus, aut tyrãnis additam calumnieris, quibus ea commodo eſſe potuit, Platonem tibi, tuũ auctorem, laudo, qui ſuæ reipub. neceſſariam eſſe putauit. [12] Atqui vt humanę leges hic ſileãt, miror equidẽ vobis, qui reſtitutæ religionis fuco dogmata veſtra populo venditatis, nunquã id in animum venire, quod Chriſtiana toties inculcãt oracula

12 Lib. 12. de repub.

vindictam numini reſeruandam, nec vim vi propulſandam, ſed lenitate, patientia, & animi magnitudine tolerandam. Reſtat argumenti pars altera. Si populo Kennethus impoſuit, & dolo malo ſoboli ſuæ regnum aſſeruit, vſitata ſunt legum remedia, quibus acceptũ damnũ ſarciatur. Ait enim prætor,[13] *Quæ dolo malo facta eſſe dicẽtur, ſi de his rebus alia actio non erit, & iuſta cauſa eſſe videbitur, iudicium dabo.* Nos ad reipubl. commodum Romani prætoris adhæremus edicto, ac fucum populo factum, vbi iuſta ſuberit cauſa, reſtitui nõ prohibemus. Sed omnes in integrum reſtitutiones à prætore cauſa cognita promittũtur.[14] Verùm in hac regni controuerſia quis ſummæ rei diſceptator erit, ad quem cauſæ cognitio referatur? Populuſne? minimè. Vetant enim leges ne perſonam iudicis idem & actoris ſuſtineat.[15] Iniquum admodum eſſet in re propria licẽtiam alicui tribuere ſententiæ. Rex ne? Id eadem ratione videtur impeditum. Cuius igitur tãdem erit iſta cognitio? Si non regis, certe ſolius numinis, cuius poteſtatem vnius rex ſua ſuperiorem agnoſcit ac fatetur. Sed vt de iudice conſtet (populo, ſi videtur) omnes in integrum reſtitutiones euaneſcunt tempore,[16] nec minus ea quæ dolo malo, quam quæ vi metúſue cauſa

13 L. 1. D. de dol.

14 L. 3. D. de in integr. reſtit.

15 L. qui iuriſdictioni D. de iuriſ. om. iud. L. vn. c. ne quis in ſua cauſ. iud.

16 L. vlt. §. de temp. in integ. reſt. L. vlt. c. de rep. hered.

fiunt, paucorum annorum ſpatio definiuntur. Quadriennium veteribus, vel lege Conſtantini quinquennium, longiſſimum erat. [17] Ecquid igitur nunc oblatum eſt cauſæ, vt poſt ſexcentos annos, & eo etiam amplius, aduerſus Kennethum reſtitutio poſtuletur? An ea tantùm arceri foro debet, ac non etiã iuſtiſſimo ſupplicio profligari? Quod ſi ea quæ metus cauſa geruntur, quę vi extorquẽtur, legitimi temporis tractu conualeſcunt, quæ cauſa tam æqua videri poteſt, quæ ſopitam & extinctam tot ſæculorum interuallo doli memoriã præſcribi non patiatur? Aiunt noſtri præſcriptionis maiorem eſſe vim & auctoritatem quam pacti, quantumuis iuſta lege firmati. [18] Pacto ſiquidem ſociorum fundo ſeruitus acquiri non poteſt, præſcriptione poteſt. [19] Ius glebæ pacto non acquiritur, acquiritur tempore. [20] Ius clientelæ, vel ſi mauis vti ſcholæ vocabulo, feudũ præſcribi poteſt, quod alienari pacto non poteſt. [21] Quocirca ſi regnum Kẽnethi liberis fraudulento pacto venit, illud certè multiplici præſcriptione munitum eſt. Quantum autẽ vtriuſque vis coniuncta valet? Ex quibus intelligi par eſt, ſiue vi, ſiue dolo malo, ſiue vtroque regnum Kẽnethus in ſua familia ſtabiliuit, id poſteris hodie ratum firmúmque

17 L. 2. Cod. Theodoſ. de in integ. reſtit.

18 Specul. tit. de feud. parag. quoniam verſ. 3.

19 L. qui pro parte D. de ſeruit. L. ſed & ſi. D. de ſeruit. vrb. prœd.

20 L. 3. d. de diuerſ. tẽpor. L. 2. & L. quẽadmodũ. C. de Agric. & conſ.

2[1] Tit. ſi de feud. fuer. contr. §. ſi quis per triginta.

manere, nec ſine ſacrilegio poſſe ſtatus illis cõtrouerſiam moueri. At verò quorſum iſta diſputãtur, cùm ipſe pòſt agnoſcas id ius populi voluntate regibus datum? Verùm è veſtigio quaſi pœnitentia ductus, ais principes *ſua potius cauſa, quam ex vtilitate populi, in ſua familia ſtabilem regni ſedem conſtituiſſe, nec eſſe veriſimile id impetraturos fuiſſe, niſi & ipſi inuicem aliquid de ſuo iure populo remitterent.* Iſtas coniecturas equidẽ haud moror, quod verò principum, non populi cauſa, regna ſtirpi regiæ perpetua ſucceſſione collata putas, id vt falſum eſſe credam, moueor auctoritate Oldradi [22] Laudenſis doctiſſimi iuriſconſulti, qui vtilitatis publicæ cauſa id in hominum vitã introductum fuiſſe demonſtrat, quo popularium factionibus & cladibus inteſtinis obuiam iretur, quibus non tam regalis fortuna, quam imbecilla populi conditio laborat. Quod (ne rei perſpicuæ probatione grauemur) nobis tacentibus horum tẽporum tragœdiæ loquuntur, quibus principes fortunæ ſecuros, populum, prę ſertim verò pauperculam plebem, militum inſolentiæ, direptioni, prædæ, incendio, morti, ludibrio rerum humanarum, ac omnibus iniuriis expoſitum eſſe videmus.

pag. 62.

pag. 63.

22 Cõſil. 94. elegãter.

CAPVT 20.

QVoniam verò ſucceſſionis iure ſtirpi regnum addicimus, paulò pòſt quæris, *quid ſi cui regum filius ſit ſtolidus? quid ſi inſanus? Eòſne nobis conſtitues rectores, qui ſe ipſi regere non poſſunt?* Huic quæſtioni ſtatim ipſe reſpondes, *nihil opus fuiſſe hac exceptione vti, cum huic generi legibus ſit proſpectum.* Quibus tandem? nullam enim attuliſti. Equidē apud nos nullius legis memoriam extare video, cuius auctoritate ſtolidi & inſani paterno regno ſpolientur. Tu rem per ſe liquêre putas, qui tanta confidentia ſententiam tuam protuliſti. Nobis contraria placet, qui regna generi apud nos, nō virtuti conceſſa docuimus. Sed ne videamur vel ratione, vel auctoritate deſtituti, primùm in priuatis hæreditatibus erciſcundæ familiæ iudicio, fatui mente capti, furioſi, nihilo deteriore ſunt cōditione quā hæredes cæteri. [1] Quin & ſi quid vel more, vel lege natu maioribus debetur, id propter mentis inopiam eis haud aufertur. Quid eſt, cur idem in regnis, quæ προτοτοκίας obueniūt lege, non obſeruetur? An quoniam intereſt reipubl. per eos regi à quibus integra, ſarta, tecta cuſtodiatur? Sed & intereſt reipubl. ne quis priuatus re ſua male ac perperā vtatur: [2] ſingulorum enim facultates & copiæ diuitię ſunt ciuitatis, inquit Cicero. [3] Eóque apud

pag. 64.

1 L. 1. & 2. D de bon. poſſ. infāt. fur. mut. & c. L. vlt. §. tali, C. de curat. Fur. L humanitatis & eò Angelus C. de impub. & ſal. ſub.

2 Authent. vt iud. ſine quoquo ſuffr. §. 1. & §. ſed & maior. inſt. de his qui ſui vel al. iur. ſunt.

3 offic. lib. 3.

4 Nabathęos diminuti patrimonij multam le-
Lib. 16. ge ſancitam fuiſſe refert Strabo, [4] honorem
Geograp. autem iis qui rem familiarem auxiſſent ea-
dem lege definitum. Quin & apud Atheniē-
5 ſes & Romanos malè rem gerentibus patriis
In Caton. bonis interdici ſolebat, [5] quod ſingulorum
ma. opibus rempub. ornatiorem eſſe putarent. [6]
6 Authent. Qua vel vna ratione moti legūlatores, adeo
de defenſ. diligenter pupillis, furioſis, prodigis caue-
ciuit. §.1. runt, qui cum propter imbecilitatem conſi-
Authent. lij & rationis inopiam rebus ſuis supereſſe
vt om.o- non poſſunt, ne decoquant, ne bene parta
bed. iud. male profundant, atque ita demum ad pæ-
prou. §.1. nuriam & egeſtatem redigantur, in tutorum,
7 curatorúmq; arbitrio eſſe coguntur.[7] Quod
L. 1 D. de non modò priuatis hominibus, ſed & prin-
tutel. L. 1. cipibus quibuſdam atque regibus opulentiſ-
& 2. de cu- ſimis vſuueniſſe comperimus. Carolum eo
rat. fur. nomine ſextum morbus animi, quo grauiſſi-
mè conflictabatur, Galliarum imperio mini-
mè deſtituit, cuius negotia plurimis annis
patruorum conſilio procurauit: nec quiſquā
inuentus eſt eo viuo, qui ſibi iuris aliquid au-
8 deret adſcribere, quanquam non deerant
In Terpſi- plærique regum liberi, principes, & heroës,
chore. Plu- ad ſubeundam regni curā omni genere lau-
tar. & Æ- dis ſingulariter inſtructi. [8] Narrat Herodo-
mil. prob. tus apud Spartanos eo iure quo apud cæte-
in Ageſi-
lao.
ras

ras gentes regiorum liberorum natu maximum defuncto patri in rerum ſumma ſuccedere, eóque factum vt Cleomenes ſtultus & hebes, ad ſtiuam quam ad regnum aptior, tamen quia generi, quia ætati debebatur imperium, Doriæo fratri, quem virtutis & ingenij præſtantia ſuperiorem æqualibus fuiſſe conſtans hominum fama referebat, in hereditario regno præferretur. Hic ego tibi nec Pentheum, nec Oreſtem, nec Cambyſem commemorabo, quibus totius familiæ ſuæ parricidio deteſtandis, regni ius haud ademit inſania. Atqui vt hęc nihil ad rem faciãt, ſi ſtolidi, ſi inſani paterno regno veniũt excludẽdi, cur pueri, cur infantes rerum habenis admouentur? Quid enim inter hos & illos intereſt? Si virtuti, ſi ſapientiæ regna cederent, arcendi eſſent infantes, quos eò conſenſus omnium populorum admittit, aliorũ tamen cura ſtudióque regendos. *S P Q R.* Mar. Lepidum Ptolemæi liberis tutorem in Ægyptum miſit.[9] Idem Rheſcuporidi, liberíſque Cotyis nondum adultis Trebellenũ Rufum prætura functum curatorem dedit, qui Thraciæ regnum interim procuraret.[10] Lycurgus Charilai nomine Spartã rexit.[11] Ageſipoli Laconũ regi tutor datus eſt Cleomenes Cleombroti filius.[12] Olympias Alc-

9 *Iuſtin.* lib. 30.
10 Cor. Taci. lib. 2.
11 Ariſt. lib. 2. polit. cap. 8. *Iuſtin.* lib. 3.
12 Polyb. lib. 4.

xandro defuncto liberorum tutelam vnà cũ adminiſtratione regni ſuſcepit.[13] Aſcanius in tutela matris poſt mortem Ænææ regnauit.[14] Iſdigertem Perſarum regem ab Arcadio Theodoſij & imperij Romani curatorẽ fuiſſe relictum Procopius & Agathius memoriæ prodiderũt. Idem Agathius veterem apud Francos legem eſſe refert, quę infantes ad paternum regnum vocet.[15] Exemplis id Ludouici noni & Caroli octaui didicimus. Sed quid his recenſendis immoror, quæ negare ipſi non audetis? Vos enim vixdum vnius anni puellum materno regno præfeciſtis. Si ad ſacra nos conuertamus, idem iuris fuiſſe reperiemus. Manaſſes enim duodecimo, & Ioſias octauo ætatis anno regnarunt. Infinita ſunt apud omnes gentes harum rerum teſtimonia, quæ ad nauſeam vſque percurrere dicẽdo poſſem, ſi probatione res indigeret. Verùm ſi cui minus iſta ſatisfaciunt, vt exemplorum tædio leuemur, ad doctiſſimorum iuriſconſultorum ſuffragia recurremus, quorum auctoritatem defugere ſingularis erit impudentiæ. Quotquot enim ea de re ſcripſerunt, infantibus regna per tutores vel curatores adminiſtranda concedunt.[17] Stolidis & inſanis ineſt rationis aliquid, his

13 Iuſtin. lib. 28.

14 Liu. lib. 1.

15 Lib. 1. de bell. Gothor.

17 Bart. ad *L.* quidam cóſulebat de re iud. Bald. Alexand. & Iaſ. ad *L.* vlt. C de milit. teſt. Panorm. Felin. & alij ad cap. cũ viceſimũ. de of. deleg. ext. Oldrad. conſ. 52. Ioã. Andr. in cap. cum vniuerſas de elect. Alberic. ad L. de creationi. C. de Epiſ. aud. Philip. dec. ad l. 2. de reg. iur. Antõ. Corſet in tractat. de poteſt. & excel. reg. quæſt. 18 & 89. & alij permulti.

nihil. Quin & furioſis dilucida ſunt interual-
la, quibus à morbo reſpirant : his nulla. Ec-
quid igitur eſt cauſæ cur hi potius quam illi
paterni regni iure fruãtur? Regna πρωτοτοκίας
vel, vt ita dicam, primogenituræ lege con-
tingũnt, quam rerum natura mutari non ſi-
nit. Quæ cùm ſucceſſionis iure competat ni-
hilo minus hebeti, ſtolido, & inſano, quam
rectè intelligenti, [18] quid erit quod hic illis
in regno præferatur, quod non virtutis opi-
nione, ſed naſcendi ſorte contingit? Atque
ita quidem ſorte contingit, ita generi cohæ-
ret agnationis iure, ita regiorum liberorum
maximo debetur, vt propter animi mor-
bum intemperiis agitati, tolli non queat.
Nec enim furor, vel amentia ſuitatis (vt iu-
riſconſulti loquuntur) ius adimit, [19] cuius
participes ſunt infantes, ſtulti, furioſi perin-
de ac adulti, rationiſque & intelligentiæ cõ-
potes, quo fit vt clientelarum quoque iure
(quod legum interpretes feudale vocant)
priuari non queant, in quibus regna facilè
principem locum obtinere videmus. Clien-
telæ ſiquidem, ſeu mauis prædiorum bene-
ficia, aut feuda, non ſecus ac aliæ res hæredi-
tariæ, receptis regnorum legibus in patri-
monio cuiúſque cenſeri debent. [20] Ac huic

18 L.1.&2.de bon. poſſ. infãt. fur. &c. Ange. ad §. ſui autẽ. inſtit. de hæred. quæ ab inteſt. def. Oldrad. conſ. 94.

19 D. L.1.&2. de bon. poſſ. & dd. ad D. §. ſui autem.

20 Iaſ. ad L. de quibus D. de legib. Philip. decius cõſ. 208. & conſ. 586. Guliel. benedict. in cap. Raynutius. de teſtam. Ioã. Fabe. in tit. de legit. patron. tut. in fin.

quidē ſententiæ patrocinātur illi quos diximus legum periti,[21] quos ipſe conſule, ſi minus apud te fidem noſtra demeretur oratio. Sed vt filio, vel agnato proximo vitium animi nihil obeſſe volunt, quo minus legitimo regno potiatur, ita curatorem ei, vel adiutorem & adminiſtrū imperij dari præcipiūt,[22] ne ciuium vtilitas, ne publica ſalus imperito gubernatore periclitetur. Quod Portugalliæ regi factum legimus, cui pontifex maximus minus ſatagenti rerum ſuarum, & ſuam publicamque ſalutē negligenti, curatorem adhibuit ipſius fratrem, Boloniæ comitem, cuius imperio eius regni populares acquieſcerent.[23] Ex quibus apparet Scotiæ quoque regnū ſucceſſionis iure niti, nec animi morbo magis, quam corporis vitio legitimis hæredibus auferri. Nam eò degunt inſtituto Noruegi, Angli, Galli, Hiſpani, omnes vicini populi, quorū commercio viuimus, quorum quotidiana fruimur cōſuetudine. Nam eo inſtituto vixerunt Ægyptij noſtri generis auctores, quorū leges maiorum noſtrorū obſeruantia & honore viguerunt. A quibus verò populis diuerſum regni ius accepimus? Ab iis, credo, quorum vix, ac ne vix quidem, poſteris ſæculis ad nos fama peruenit.

CAPVT 21.

21 Ange. ad L. cū pretor. §. non autem. D. de iudic. Iaſ. ad L. nemo poteſt. de legat. 1. Ioā. Igneus in quæſt. an rex franc. recogn. ſuper. col. 28. Carolus Molin. in cōſuetud. par.

22 Can. quāuis. c. quia frater. C. petiſti. 7. quæſt. 1. cap. grādi. de ſuppl. negl. præ. in 6. arg. L. 1. C. de tut. vel curat. illuſt. vel. clar. perſon.

23 D. cap. grandi.

ATque hæc quidem de creandis regibus dicta ſint, de coërcendis videamus. *Ais multos qui crudeliter & flagitioſè regnum admini-ſtrarunt, à ciuibus in ius vocatos: quoſdam perpetuis carceribus dānatos, alios partim exilio, partim morte multatos: quorum cùm vel filij, vel propinqui in eorum locum aſſumerentur, nulla vnquam quæſtio aduerſus interfectores decreta fuit.* Quod ais in ius vocatos, falſum eſt. Id enim vel factum eſſe, vel fieri potuiſſe, neutiquam probaueris. Quæ ſequuntur facta eſſe non nego, ſed nullo iure facta eſſe dico: nec à populo publicis ordinum comitiis, ſed à priuatis quibuſdam hominibus impiè peruerſéque facta. Sed quia dādus eſt deformibus color, ea tu quaſi legibus & iure perpetrata, partim rationibus, partim exemplis adumbras, ita confuſè, ita perturbatè, vt ordinem in iis refutandis certum tenere non poſſimus. Quocirca ne quid repræhēſione dignum prætereamus, eo quo res quæque tulerit ordine, ſingula diſcutiemus. Ac primū occurrit illud quod de phylarchis recitas, *quos Scoti priſci ad noſtram vſque ætatem eligunt, & electis conſilium ſeniorum adhibent, cui conſilio qui non parent, honore priuantur. Quod igitur in partibus adhuc ſumma diligentia ſeruatur, in omnium ſalute negligerent?* Iſtud exempli falſum eſſe didici, cum iſta ſcriberem.

pag. 19. 65. 80. & deinceps.

pag. 65.

Nec enim Argadi, nec cæteri, qui ſunt alicuius nominis, principes ſuos eligunt, quos naſcendi conditione ſortiuntur. Sed eligi concedamus: valeat id exempli, in quo tu regni fortunam poſitam autumas: at rationem exemplo additam nemini ſano probaueris. Montanum illud vulgus, Scotiæ fex (quod cum tua bona venia dicere liceat) & quos cęteræ nationes ſyluestrium hominum & ferorum habent loco, eos quos alicui tribui præfecerunt minus bene rem gerentes, phylarchia ſubmouent, igitur & cæteris Scotis reges in ordinem cogere licebit, quibus nihil iuris contulerunt? Vides quam nihil hic Buchanano dignum ratione concludatur. Illi tribunos ſuos (quos φυλάρχους vocas) eligunt, electis legem dicunt, à qua recedentes coërcere poſſunt. Hi nullam regi legem pręſcribunt, nullum populi beneficium agnoſcenti, nec referendæ gratiæ deuinctio, quia naſcendi conditio Scotis, non optio regem facit. Quid verò quod ipſe barbarũ phylarchorum tuorum morẽ auerſari videris? qui vt ſine riuali dominentur, & id quidquid eſt honoris pacatum liberis relinquant, fratres, & ferè proximum quemq; neci dedunt. Neque profecto ea res aliò quam ad turbas & ſeditiones excogitata videtur, eóque ſæpius

regni legibus inhibita. Sed quoniam hoc vnicum aduerſus leges cædibus atque rapinis perfugium eſt ac veluti ſceleratorum omniũ aſylum, aboleri certe non poteſt. Cùm enim admiſſo parricidio, vel quouis alio grauioris notæ piaculo, in iure copiam ſui facere iubetur facinoris auctor, cum phylarchus cum tota tribu armata, & ad vim hoſtiliter inſtructa, iudicio ſiſtit, quaſi nõ legibus expiatum ſcelus, ſed armis propugnatum veniat, atque vt eſt apud Ennium,

Non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro.

Poſtquam autem præclaro hoc inſtituto ſic obitum eſt vadimonium, & ereptus iudicio reus, tribus inter ſe plærumque funeſto certamine committuntur, occiſi tribulibus perpetratæ cædis vltionem exigentibus. Hæc ſunt ea vetuſti moris veſtigia, quę in antiquis familiis adhuc remanere dicis, qui cùm in regni partibus obſeruetur, in toto minimè negligendũ eſſe cõtendis, rectius meo iudicio facturus, ſi quod in ſumma rerũ vniuerſi populi ſalus antiquandum ſuaſit, id optares in partibus, & ſingulorum ſtabilienda fortuna declinari. Alterum exemplũ eſt Ioannis Balioli, quẽ à nobilitate reiectũ ais, quod ſe regnúmq; ſuũ Edoardi Angli imperio ſubieciſſet, inq; locum eius ſuffectũ fuiſſe Bruſiũ.

Equidem Balioli flagitium agnoſco: cætera non ſatis intelligo. Nam tranſcripto in Anglum regni iure minus gratum populo fuiſſe Baliolum, atque ea de cauſa in auito patrimonio, quod apud Neuſtrios habebat in Gallia, orbum vtroque lumine conſenuiſſe, noſtrarum rerum hiſtoriæ loquuntur. Eum tu ſi ob hanc cauſam à nobilitate reiectum interpretaris, equidem tibi non aduerſabor: Si verò patriis legibus in ordinem coactum intelligis, alium quam me huius ſentētiæ expromiſſorem aduocato. Conſtat enim ſponte ſua Scotis valere iuſſis, in Neuſtriam abiiſſe, nec vnquā vllius criminis à quoquam in iudicio interpellatum. Nec magis id aſſequor, quod ais in locum Balioli ſuffectum fuiſſe Bruſium. Qui cum vix vnum aut alterum in Scotia fautorem haberet, omnibus in Angli verba iuratis, cui melius eſſe quā Bruſio malebant, amici cuiuſdam opera, quē in Hebridib⁹ fortuna ſeruauerat, auitum recuperauit imperium. Viuente Baliolo & apud Neuſtrios agente, nulla Bruſij mentione, regnum per duodecemuiros adminiſtrabatur, quoad ille perfidiā Angli regis & tyrannidē fugiēs, iure ſuo patrióq; imperij per vim occupati recepit inſignia. Nō ergo populi ſuffragiis in regnū Balioli ſuffectus eſt Bruſius,

ſed aliquot pòſt annis, inuito populo, ac debellato, regnum armis adeptus eſt, quod ei naſcendi lege obuenerat. pag. 81.
Proximum exemplũ eſt Iacobi tertii; quem tu narras omnium ordinum iudicio, iure cæſum, ob ſummam erga ſuos crudelitatem, & flagitioſam turpitudinem. Deus bone! itáne deſperata bonorum ſalus eſt, itáne conculcata iura, vt virtus ſceleri, probitati furor, fides perfidiæ, iuri iniuria vertatur? Quis tot mendaciorum auctorem, quis tanti parricidii patronum, quis tam inſignis perfidiæ præconẽ, quis læſæ maieſtatis encomiaſtatem & aſſertorẽ ſeſe niſi perduellionis & parricidii reus obtulerit? Iacobus ille, quem tu crudelitatis inſimulas & flagitioſæ turpitudinis, ita regalibꝰ omnibus virtutibus inſtructus egit, vt nihil abſit quin eum iis præferendum eſſe dicã, quos hæc ætas pietatis & iuſtitię laude poſteritati magnopere commendat. Nam præterquam quod oris elegantia, & totius corporis forma, pulcritudine, robore, cum quouis hominum certare potuerit, ita maximis ingenii dotibus abundauit ad omnia compoſiti, vt paucos cum eo cõferendos, anteponendum neminem eſſe crediderim. Aiunt enim in ſacris ædibus aſſiduum, & rei diuinæ intentiſſimum fuiſſe: in concionibus autem euangę-

licis ſemper nudo ſtare capite,& in diuini verbi præconem fixos & immotos oculos habere ſolitum,ac nihil lubentius quàm ea myſteria ſpectare. Quorum & filium natu maximũ inſtituto ritúque ſuo participem,memorabili popularibus exemplo,voluit ſibi ſemper adſiſtere. Nec modò religionis, ſed & humani iuris ac legũ ſtudioſiſſimus erat. Cędes enim, latrocinia,rapinas,veneficia ne gẽtilibus quidem ſuis impune eſſe patiebatur. Literarum porrò dignitaté atque omnes artes bonas ſingulariter obſeruabat. Quin & mechanicos artifices,quos hominũ fama præ ſuis ęqualibus extulerat,ad laborem,ad induſtriam,ad promendam aliquo maiore conatu ingenii facultatem,maioribus ſtipendiis atque præmiorũ exhortatione liberaliter inuitabat. Verùm ita impenſè genus hoc plebeiorum hominum colebat,vt præter maieſtatẽ ſuam iis interdũ nimis multa indulgeret. Quo factum eſt, vt dum placere cuperet omnibus(quæ ipſius humanitas erat) & ſine delectu quoſdam ad prima regni munera, & honores aulicos nimia facilitate promoueret, illuſtriũ hominũ, atque adeo principũ, gentiliúmque ſuorũ animos à ſe ſtudiáque alienaret. Id enim aulicis hominibus vſuuenire videmus, vt nullũ plebeiæ virtuti locũ deberi putent, ſéque con-

tẽni, cũ poſthabetur induſtriæ genus. Quod eo contingere videmus, quia ſi nobilitatẽ generis ademeris, cõſcientia ſua reliqui nihil habẽt, quod cuivſquã obnoxiũ ſit inuidiæ. Ex hoc fonte manarunt coniurationes illæ, quibus tandẽ optimus princeps occubuit nõ populi iudicio, nõ ſentẽtia procerũ damnatus, quod tu falsò cõminiſceris ſed rebelliũ hominum inaudita perfidia & crudelitate cęſus. Cùm enim quadraginta bellatorũ millia coẽgiſſet, quibus coniuratorũ aciẽ, nec numero, nec virtute parẽ, facili negotio profligaſſet, tamen quia præſentia ſua cõmoueri perduelles, & ad ęquas pacis veniæque petendæ conditiones adduci poſſe credebat, appropinquãte tãto exercitu, nec dũ rebus ad extremam pugnãdi neceſſitatẽ redactis, cũ exigua manu reliquas operiẽs copias, quæ bidui diſtabant itinere, ad famoſum illũ vicũ, quem Banafus amnis præterlabitur, haud procul Sterlingo, caſtra locauit. Perduelles occaſione læti, cùm antè ſæpius cõdonata perfidiæ pœna ſpẽ porrò ſalutis omnẽ in regis exitio ponerent, ſtatim arreptis armis dũ colloquia ſimulant, in regios inuadunt. Qui quanquam pauci numero, tamen bonitate cauſæ freti, neutiquam animos præliando remittunt. Sed cum omnibus occidione propè deletis, rex

prælio ſuperſtes, fuga ſibi ſalutem quæreret, nec iam amplius fugæ par equus ſeſſorem ferre poſſet, in moletrinam habitatore vacuam ingreſſus, latendi locum tantiſper ſibi tutum fore ſperans, quoad victorum ira deferbuiſſet, ab inſequentibus ardentiſſima contentione parricidis, ſine vlla, non dicam maieſtatis regię, ſed numinis reuerentia, immaniter, impiè, barbarè, ſceleratè confoditur. Hūc tu iure cæſum audes affirmare, quem pauculi parricidę nunquam expiando latrocinio, & diis hominibúſque deteſtabili coniuratione ſuſtulerunt? Ecquis illum in ius vocauit? Ecquis condemnationis vocem edidit? Vbinam locorum extat feralis illa pœnæ ſententia? vbi lex horrendi carminis exaudita? Quæ cum defuerint, quo iure cæſum argues? Sed argutiis iſta conaris eludere. *Omnes ordines iure cæſum in cōuētu publico iudicaſſe narras, ex eo, quod cauerint in poſterum, ne cuiquam eorum qui coierunt, conſenſerunt, pecuniam, operáve contulerunt, ea res fraudi eſſet. Quod enim re geſta rectè atque ordine factum iudicarunt, non eſt dubium quin ad exemplum in poſterum proponi voluerint. Et qui facinus perpetratum ſunt publico decreto impunitate proſecuti, de eo ſi quando poſterius acciderit, legem ſtatuiſſę videntur. Nihil enim ad ſummam intereſt, de eo quod factum eſt iudices, an de futuro*

ſtatuas. Vtroque enim modò de facinoris genere, & auctoris pœna, vel præmio iudicatur. Itane verò quod publicæ pacis & concordiæ cauſa ſceleri condonatur, ſceleris pręmio tribuitur? Quod vindictæ publicæ detrahitur, in parricidii laudem vertitur? Occiſi regis filius, non dum pubes, nec compos ſui, ſed coniuratorum cuſtodiæ mancipatus, in comitiis ordinum regni ſaluti, vitęque ſuę potius, quam iuſto dolori conſultum cupiens, obliuione ſempiterna parricidii memoriam aboleri iuſſit: parricidium igitur probauit? Carolus nonus recente memoria tempori ſemet accommodans, ſemel, iterum, tertiò noxæ perduelles exemit, eorũ idcirco fauit impietati? Iniquiſſimis interdum conditionibus pacem ciuibus ſuis & otium mercatus eſt, eóne gratas habuit quarum pòſt vltionem exegit? Thraſybulus Athenienſium tyrannide profligata legem tulit ἀμνηστίας, eóne tyrannidi conſenſit eorum, quos non eſt vltus? Nihil minus opinor, ſed ratione temporis habita pepercit improbis ciuibus, quò bonorum tranquilitati conſuleret. Pacis enim & concordiæ publicæ cauſa multa fieri videmus, quæ iuri, quæ legibus aduerſantur. Princeps enim ſingulorum ciuium in bello quæſitas actiones abrogat, quò pacem cociliet vniuerſis.[1]

Lex erat 12. tab. Sanatibus idẽ quod fortibus ius iuſto.

1. L. Antiochenſiũ. D. de priuil. credit L. venditor. parag conſtat. D. cõm. præd. noſtra. iniur. & dam.

Ac Romanus pontifex iuſtiſſimam pacis cauſam eſſe putauit, cur epiſcoporum abdicatio, præter animi ſui ſententiam, & nullo iure facta, toleretur.[2] Sed tu qui perduellium & nefariorum ciuium impunitatem eorum laudi, regis & bonorum opprobrio vertis, parum meminiſſe videris ſatyrici carminis, quod tibi notius eſſe ſcio quam mihi.

2. Can. Dudum. & Can. hoc quippe. 3. quæſt. 6.

Ille crucem pretium ſceleris tulit, hic diadema.

Quæ turbata republ. fiunt, trahenda non ſunt in exemplum temerè, nec tam ex rerum ipſarum euentu, quam ex hominum conſilio metienda.

careat ſucceſſibus opto
Quiſquis ab euentu facta notanda putat.

Ne nunc igitur tu nobis iure cæſum obtrudito, quem meliora meritum ſiniſtra ſors infœlice caſu perculit: nec impiorum ciuium impunitati ſuffragare, quos fortuna iudiciorum pœnis eripuit, eos vt poſt fata grauioribus reſeruaret: nec iudicio populi damnatum augurare, cui aduerſus exiguam tyrannorũ manum quadraginta ciuium milia ſeruiebant. Quorſum nunc euaſit exemplum, quod tu poſteritati pro coërcendi regis lege poſitum inculcas? quod aſtruendi popularis imperii vnicum attuliſti? Nam quæ de Culenis, Euenis, Ferchardis ſilentio te prętерire ſimulas, nihi-

lo magis quàm iſtud inſtitutæ diſputationi reſpondent. Nam nec hi vllo iure perierunt, priuatorum hominum ſcelere mactati.

Cap. 22.

RESTANT ALIA rerum exempla, quę iuri patrocinentur, quod tu regni Scotici proprium eſſe contendis? Nulla. Cum igitur nec iſta quæ prolata ſunt quidquam ad rem faciant, nec alia ſupetant aſſerendo iuri teſtimonia, quod tu Scotis receptum cupis, verſuram facere cogeris, qui externas imploras opes, quibus facta domi nomina expediantur. Quanquam autem domeſticorum hîc teſtimoniorum fides vrgetur, nec quidquam hac in re cum externis commercii nobis eſſe poteſt, tamen ne tibi cum duro creditore & difficili negotium eſſe conquerare, an illa ſoluẽdo ſint externa videamus. *Iudæorum reges à ciuibus minimè fuiſſe punitos ais, quòd ab initio creati non fuerint à ciuibus, ſed illis à deo dati. Itaque optimo iure qui honoris erat auctor, idem & pœnarum fuit exactor.* Quaſi verò aliarum gentiũ reges à deo non dentur, cùm Paulus disertè poteſtatẽ omnẽ ab eo manare teſtetur. Vide ne deſtructum tibi ſit hac vna ratione, quã in cogitanti veritas extorſit, quidquid tota

diſputatione tot argutiis firmandum curas. Sed his ſuus erit locus, nunc quod inſtat agamus. *Id te contẽdere dicis, populum à quo reges noſtri habent, quidquid iuris ſibi vindicant, regibus eſſe potentiorem, ac omnia aliarum gentium, quæ ſub legitimis regibus degunt, iura tecum facere: hoc omnes communiter ſentire, quidquid iuris alicui populus dederit, idem eum iuſtis de cauſis poſſe repetere.* Itaque *Lentulum, quòd cum Catilina de euertenda rebub. coniuraſſet, ſe prætura coactum abdicare. Decemuiros legum Romanarum conditores, cum in ſummo magiſtratu eſſent, in ordinem redactos: Sed ne dictaturam quidẽ (quod tyrannidis erat genus) extra populi poteſtatem fuiſſe. Et Venetorum duces aliquot in monaſteriis priuatorũ habitu conſenuiſſe.* Quorſum iſta? Quid enim vnquã Romani prętores habuêre, decemuiri, dictatores, aut Venetorum duces regum noſtrorum imperio ſimile? Tu verò ſemper inſcitè populare cum regio commiſces imperium, quaſi nihil interſit, rex, populus, an pauci pręſint. populares magiſtratus & ariſtocratici aliena poteſtate nitũtur: reges ſua & propria. Horũ ſumma & infinita poteſtas eſt illorum cauſa, tempore, modo atque ratione tẽperata. Sed illos tu legitimos reges appellas, quod ſuperiori poteſtati ſint obnoxii: cęteros ſummo præditos imperio tyrannorum appellatione

definis.

Eóque dictaturam non omnino tyrãnidem, ſed tyrannidis genus fuiſſe putas, quia ſummo proximum erat imperio. Pudet ineptiæ. Quid enim Athenis, quid Romæ populus? Non ea poteſtate fuit, qua noſtri ſunt reges? qua Venetiis agunt pauci proceres? Nũquid Athenienſiũ, nunquid Romanorum minus legitimum erat imperiũ? Venetorum procerũ tyrannicã poteſtatem eſſe dixeris? minimè verò ſi tibi conſentias. Et tamen illi regia poteſtate regnant: eóque tantùm à noſtris differũt regibus, quòd multorũ, quòd paucorũ ſit imperiũ, quod noſtri (quia diuidi nec poſſit, nec debeat) vnius eſſe voluerunt. Et quẽadmodum apud nos magiſtratus omnes regi diſcedunt, cuius perſonam gerunt in regni partibus adminiſtrandis: ita Venetorũ duces optimatium agnoſcunt dominationẽ: ita Romanorum & Athenienſium prætores, conſules, tribuni, decẽuiri, dictatores, archõtes, cæterique magiſtratus ex populi nutu pendebant: & quẽadmodum ſingulis ciuibus imperabant, ita ſine prouocatione parebãt vniuerſis. Nobis populi loco rex eſt, & vice patriæ colendus. Athenienſibus & Romanis regis vicem populus obtinebat. Ex quibus apparet imperitè populi magiſtratus cum regibus noſtris contendi, aut legitimos reges appel-

lari,cum id nominis in ipſum populum quadret regio imperio & poteſtate præſtantem. Sed vt ſingula ponderemus,nec lege,nec plebiſcito prætura Lentulo fuit abrogata. Quæ res conſuli magnam conflauit inuidiam, qui cùm non ignoraret, niſi centuriatis comitiis de capite ciuis agi non potuiſſe, tamen iniuſſu populi, ac ſola ſenatus auctoritate fretus, nefarium ciuem, ac patriç proditorem in carcere ſtrangulauit. Quod de decemuiris,quod de dictatoribus attuliſti,nihilo magis ad rem facit. Nam quod ſuperius à nobis inculcatum eſt,hi nihil habebant proprium, ſed populi vices obibant, apud quem ſummum reſidebat imperium. Itáque iure optimo populus honoris eis auctor, pœnarum eſſe debuit exactor. Idem de Venetorum ducibus iudiciũ eſto. Regum alia ratio eſt,qui populo nihil acceptum ferunt: qui non ſubſunt populo, ſed præſunt: qui non mandato, nec alieno funguntur imperio,ſed ſuo. Sed & regum nos teſtimoniis vrges. *Chilpericus enim rex Francorũ depoſitis imperii inſignibus,priuatus in monaſterio conſenuit. Et non adeo pridẽ Chriſtiernus Cimbrorum rex poſt viceſimum ferè annum quam exutus eſt regno, in cuſtodia vitam finiuit. Quod* de Chilperico narras,vbi tandem accepiſti? Gallicarum rerũ cõmentarii Chilpericum nõ ex

rege monachum,ſed ex monacho regē factū eſſe prodiderunt. Verùm hoc quidquid erroris eſt,id vnius inuerſione literę factum arbitror,librario potius aſcribendū, quā tibi, huiuſmodi rerū haud ignaro. Childericū enim intelligis,opinor,cuius & antè mētionē aliquam inieciſti,ſed eodem errore typographi. Huic enim in monaſterium detruſo ſubrogatus eſt Pipinus. Quid inde? Si tibi conſtare velis,iſtud exempli nihil quidquam adfert ad popularis imperii vim in reges arguēdam. Nā antè populum hoc crimine liberaſti,cauſat' in perſona Romani pontificis tātæ mutationis originē cōſtitiſſe. Nō eſt animus hoc loco diſputationē ordiri, populíne Gallicani,an pōtificis auctoritate regnū Childerico fuerit in Pipini gratiam abrogatum,quæ noſtris,& maiorum noſtrorum tēporibus ſatis ſupérque doctiſſimorum hominum ingenia fatigauit. Verū tamen vt vno verbo ſummam rei cōplectar,& id breuiſſimè definiam quod eſt huius inſtituti,nec Papæ, nec populo tribuendum id arbitror, ſed vtrique: nec tam vtrique,quam temporū neceſſitati, quæ præſentem ferre non poterat Gallici regni conditionē citra Chriſtianę religionis interitum. Pipino per legatos regnum ambienti, & iuſtiſſimas obtendenti precibus cauſas, Pag. 37.

annuit Chriſtianorum ille parens, non tam quid iuris eſſet Childerico, vel quid Pipino deberetur animo proponēs ſuo, quàm quid Chriſtianorum omnium rebus in extremo periculo conſtitutis expediret. Clothario, Chilperico, Theodorico, Cala, Childerico, cæteriſque Frācorū regibus tot annis inertia & ſocordia torpentibus, luxu, ac nequitia per ditis, Gallia tota nō modò ciuilibus, ſed & ex ternis bellis in maximo diſcrimine verſabatur. Hiſpaniam vi tenebant Saraceni, nec ea contenti Gallias quoque populabātur. Italia tot tyrannis erat expoſita, vt nulla ſalutis ei ſpes arrideret, niſi Pontifex Romanus ad Pipini virtutem cōfugret. Imminebant Europę Longobardi, Gothi, Vandali. In oriēte peſ ſum ibat Romanū imperiū, hæreſiarcho Leone, & Conſtantino eius filio ſatis ſiniſtrè ſum mā rerum gerentibus, Barbaræ nationes om nia complebāt: nulla pars Europæ ſeditione vacabat, imo nulla pars orbis Chriſtiani cladium expers erat, quas profani homines, cædibus & ſanguine gaudentes, odio religionis inuexerunt. Pontifex igitur quāquam exemplo pernicioſum eſſe non ignorabat, populo fræna laxare, qui ſceptra mutaret, qui alienæ gentis hominem cum legitimi principis iniu ria ſibi præficeret, tamē quo grauioribus ma-

lis occurreret, quorum incendio res Chriſtiana conflagraſſet, vnius hominis iniuriam effœminati, mollis, inceſti, omnium ſaluti poſthabuit. Vni' igitur cõſenſit iniuriç, quò Chriſtianam pietatem & bonorum omnium iura tueretur. Galli regum ſuorum pertæſi, quos reipubl. negligentes obſcœnæ voluptatum illecebræ in belluarum naturam transformauerãt, cùm Pipini geſta ſuſpicerent quem vnum ingenio, virtute, induſtria finem prçſentibus incommodis allaturum intelligebant, eum pontificis auctoritate freti aptum regno, eũ reipubl. cura dignum eſſe iudicarunt. Igitur quod ſponte ſua tentare, quod aggredi per ſe nunquã auſi fuiſſent, id vbi põtificis maximi ſuffragio probari cognouerũt, ſuo calculo rẽ differri, & occaſionem manibus elabi non tulerunt.[1] Non iubente, ſed permittente pontifice, populus regem abdicauit, in quem alioqui nihil habebat imperii niſi per eum fidei ſacramento diríſque ſolutus fuiſſet, quibus regiæ ditioni ſe deuouerat. Quod ſi minus iſta tibi ſatisfaciunt, ac populum modò mutati regis auctorẽ agnoſcis, iure mutatũ eſſe nego. Nego factum hoc, quod vnicũ eſt, legis vicẽ obtinere. [2] ac rurſus obiecero tibi legibus eſſe non exemplis iudicandum, [3] nec tam ſpectandum quid factum ſit, quam quid fieri

1. Ado vič. ætat. 6. ſub. an. 727. Otho friſing. lib. 5. chrõ cap. 21. 22. 23. Emoinus mon. lib. 4. cap. 91. can. alius. 15. queſt. 6.

2. l. iura. cũſeq q. D. de lib.

3. l nemo iudex. C. de ſent. & interloc. l. ſinguli de accuſ. l. ſed licet. d. de offic præſid.

debuerit. Eadem iſta ratio Chriſtierno Cimbrorum regi patrocinatur, quem non populi comitia, ſed procerum coniurati per fas ne fas regno ſpoliarunt. Atque ex eo porrò tempore legibus ita reges ſuos obligarunt, vt non arbitratu ſuo, ſed ex optimatium libidine regnent, quorum iniuſſu neque pacis, neque belli negotia curare queant. Ac inter cætera legibus illis additum accepimus, ne de vita cuiuſquam ex nobilium ordinibus rex ſibi deinceps ſtatuendi facultatem arrogaret. Hoc non eſt regem in ordinem cogere, ſed regno exuere, ac imperium nobilitati ſummum vindicare. Quin & aduerſus reges ſuos, quod maieſtatis inexpiabile crimen eſt, [4] cum Polonis, cum Lubecenſibus tuendæ libertatis fœdus inierunt. Ex quibus apparet mutatam eſſe regni faciem, in paucorum tyrannidē vnius imperio degenerante, vt iam nec regnū, nec reſpub, dici debeat, ſed regni deprauatio, corruptela reipub. vt loquitur Herodotus. Si verò Cimbricā illam Cherſoneſum animo percurramus, ea rerum mutatione factū reperiemus, vt ex eo tēpore, quo regi vim attulerūt, ad paucos tyrannos tranſlata rerum ſumma, nihil vnquā odii, nihil quidquam ſæcutæ pacis habuerit. Quæ cū ita ſint, ne tu pro regni Scotici iure nobis obtrudito.

4. L. quis quis. C. ad leg. Iul. maieſt.

quod in vnius externi regis iniuriam admiſſum, quod in regni perniciem paucorum ſcelere deſignatum, quod in exemplo poſteris execrabili confectum eſſe cognoſti. Quoniã autem tua te deficiunt exempla, nec quidquã inſtitutæ diſputationi ponderis adferũt, equidem inopiæ tuæ conſulam, & ea tibi ſubminiſtrabo, quæ etiamſi fidem facere non debeãt, tamen veritate nituntur, & magis ad rẽ faciunt, quam tua. Apud Ægyptios mortuo regi populus iuſta funeris denegabat, ſi quid in vita perperam egiſſet, quod regalis fortunæ ſplendorem obſcuraret. Quin & obuio cuique defunctum accuſare licebat, Quod Ægyptii reges vſque adeo reformidabãt, vt vel ea duntaxat cauſa pietatem viuis & iuſtitiã colendã ſibi perſuaderent. [5] Sed his Taprobani ſeueriores abutentem imperio regẽ morte multabant. Verùm hi regem ſibi ſuffragio conſtituebant, & perinde ac illi legibus habebant obnoxium, quarum vinculis ſoluti ſunt noſtri, quibus iure ſuo, non precario quæſitum eſt imperium. Neque tamen ea ſeueritate peccantem excipiebant, qua tu tuũ tractari iubes. Nulla ſiquidem damnato regi vis adferebatur, non attrectabatur cuiuſquam manu: ſed conſenſu publico rerum omnium interdicebatur ei facultas, & colloquii

5. Diodor. Sicul. rer an. lib. 2. cap. 3.

poteſtas punito negabatur. 6 Iſta boni conſu
6. le quæ lege, quæ more apud veteres Ægyp-
Solin. polybiſt. cap. 56. tios & Taprobanos fieri conſueuêre: quæ ve
rò tu de Cimbris, quæ de Gallis attuliſti, non
tam iure quam temporum neceſſitate ſemel
admiſſa, propoſiti negotii fidem deſtituunt.

Cap. 23.

IAM VERGIS ad triarios, exemplorũ acie retuſa, quibus ita magnificè triumphabas. Reſtant Colophonii milites, quibus profliga ta reſtitues agmina, quibus animo redintegra to, reſumptiſque viribus ſolito nobis pertina cius inſultabis. *Romani pontifices, in quis longe regum omninm conditione ſuperiores, legũm pœnis haud eximuntur. Nam & eos quanquam ſacroſan ctos Chriſtianis omnibus ſemper habitos, ſynodus Baſilienſis communi ordinum conſenſu ſenatui ſacerdotum obnoxios eſſe pronunciauit. Id indicant expetita de quibuſdam ſupplicia, cum eorũ alii viui magiſtratum eierare coacti ſint, alij etiam poſt fata ſepulchris eruti, & in Tiberim proiecti.* Quin geſta ſint iſta Romæ neutiquam inficias iuero, verùm aio non factorum hic, ſed iuris exempla deſiderari. Cùm enim de regnorum iure diſputationem inſtitueris, quorſum attinet ea recenſere, quæ inſolentia populari,

pag. 75. & 91.

quæ vi, quæ furore perpetrata, non ad imitationem exemplo proponenda veniunt, ſed iuſto legum ſupplicio vindicanda? Nos igitur hac in re non quid facti ſit, ſed quid iure fieri poſſit examinemus. Pontificem Romanum, aliorum mortaliũ inſtar, humanæ fragilitatis incommodis vrgeri, nemini cõtrouerſum eſſe puto. Quin & id omnib' perſuaſum arbitror, ſupremę dignitatis excellentia fieri,[1] vt quæ ab aliis hominibus admiſſa leuiter expiari poſſunt, ea pontifici notam inurant, quæ deleri non queat, vt vix pacem vllam veniámque mereantur. Eum tamen eccleſiaſticarum legum auctores ita ſacroſanctum eſſe volunt, vt nec regum, nec imperatorum, nec populi, nec ſacri concilij iudiciis obnoxium eſſe patiãtur.[2] Voluit enim deus beati Petri ſucceſſores cælo tantùm debere innocentiam, eorúmque facinora non ab hominibus, ſed à deo diiudicari. Hoc, opinor, ob reuerentiam eius perſonæ quam agunt in terris, vel quoniam ab iis contempta religio ſatis deum vltoré eſt habitura. Quo fit, vt accuſari non poſſint ab hominibus, nedum iudicio condemnari. Si tamen opinionibus imbuti prauis in animum induxerint ſúſque deque Chriſtianam agere rapere rẽpub. ſi commiſſum Chriſti gregem hoſtibus

1 L. omne. delictum D. de re milit. can. præcipuè. 11. qu. 3. can. nulli fas. 26. qu. 1. can. homo. 40. diſt. L. presbyteri. C de. Epiſc. & cler.

2 can. nemo cã. aliorũ can. facta. 9. qu. 3.

auitæ pietatis atque fidei prodiderint, ſi minus rectè de patrū religione ſenſerint, ſi per dedecus ác turpitudinem vitam egerint magno cœtus euangelici probro, nec admoniti reſipuerint, tum demum ſacerdotum ſenatui fas eſt Chriſtianorum gregi prouidere, [3] lupúmque paſtoris perſona latentem abigere, ne ſcilicet quod eſt apud ſatyricum,

grex totus in agris
Vnius ſcabie cadat & porrigine porci.

Quod enim per Moyſem ait in Leuitico dominus, ſi peccauerit vnctus populum in errorem trahet. [4] Hęreſim igitur vnicam noſtri cauſam eſſe volunt, ob quam Papa non occidi, non mactari, non effodi ſepulcro, nō in Tyberim proiici, ſed ordine moueri queat. Nam à cruoris effuſione, quem ſitiūt tantopere veſtri miniſtelli, regum pręſertim atque ſummorum magiſtratuum, illi ſemper abſtinendum eſſe præcipiunt. At hæreſeos vocabulū latiſſimè diffuſum aiunt. [5] Si quis enim ſemel, iterum, tertiò flagitij vel ſceleris admonitus, ad frugem non redierit, ſed magno Chriſtianę reipubl. dāno, errori pertinacius adhæſerit, eum hæretici definitione contineri dicimus, [6] eámque iuſtiſſimam nobis cauſam videri, cur è petra deturbetur, in qua Chriſtus dominus eccleſiam ſuam ſanctam

3 can. ſi papa. 40. diſt. can. nos ſi. §. Item. cum Balaam. 2. qu. 7. Archid. in cap. in fidei fauorē de hæreti. lib. 6.

4 cap. magnæ. devot.

5 24. qu. 3. paſſim.

6 gloſſ. in cā. ſi papa 40. diſt. cā. nullus. 38. diſt. & can. ſi qui presbyteri 81. diſt. panoi. in cap propoſuit. de conceſſ. præb. & in cap. cum veniſſent. de iudic.

multis antè ſæculis ædificaturum ſe recepit. Cum igitur hi tanto regibus omnibus interuallo ſuperiores, quanto illi reliquos mortales antecedunt, legum pœnis obligentur, ecquid tantæ maieſtatis eſt in regibus, vt iudiciorum ſecuri, ſoluti legibus, à pœnis liberi viuant? Vrgeri nos iſta ratione ſentis, cuius tamen vis eneruari facilè poteſt, ſi quis rem penitius inſpexerit. Videamus enim quibus legibus, quorum iudicio, quibus pœnis Romani pontifices obnoxij teneantur. Vnica lex eſt hæreſeos, qua ſolui non poſſunt, quia religioni Chriſtianæ, quia fidei tuendæ præficiuntur. Tu reges omnium legum vinculis implicas, nedũ iis quibus ſtatus reipub. quibus regni ſalus continetur. Illi ſacri concilij ſententia condemnãtur, à quo quidquid poteſtatis habent acceperunt. Tu reges populi iudicio ſubeſſe iubes, cui nihil acceptum ferre tenẽtur. Illi cauſa cognita, ordine tantùm mouentur. Tu reges non in ordinẽ cogi, ſed indicta cauſa trucidari iubes, & leonum inſtar aut vrſorum, nõ modò totius populi iudicio, ſed & ſingulorum exponis iniuriæ, pariciđíſque nefariis audaciæ, furoris, perfidiæ præmia decernis. Nos verò põtificum atque regum magnã diſſimilitudinẽ eſſe dicimus, cur hi populi iudicio minimè teneãtur, quẽ-

animalis bruti ſimilem eſſe dicebat,[8] qui nec 8 Plato in
per ſe, nec alio docente veras opiniones aſ- Alcibiad.
ſequatur: ac tantum abeſt, vt quidquam ſa- 1. in Cri-
piat, vt non ipſe modo, ſed & ij qui gratiam ton. & lib.
eius inire volunt, amantes veritatis & ſapiē- 6. de repu.
tiæ dedignentur & vituperent. Plato multi-
tudinem quia docere nihil poteſt, nec iuſti
ac iniuſti differentiam comprӕhendere, nec
iudicare poſſe pronūciat.[9] Eam ſtoicus peſ- 9 In Alcib. 1.
ſimam veritatis interpretem vocat.[10] Pho- 10
cion Athenienſium prudentiſſimus idem & De vit. beat.
optimus, cum die quadam ſententiam dixiſ-
ſet populi ſuffragio laudatam, conuerſus ad
amicos,[11] ecquid, inquit, incogitanti exci- 11
dit improbi conſilij? Notum eſt illud, Plutarch. in Phociō.

non ſi quid turbida Roma
Eleuet accedas, examénve improbum in illa
Caſtiges trutina.

Xenocrates, ſeu mauis, magiſter eius Plato, 12 lib. 6. de
multitudinis incōſtantis & imperitӕ mores repub. & in Axio-
variis deſcribit epithetis, nūc, θηρίον πολυκέφα cho.
λον appellans,[12] nunc ἀχάριον, ἀψίκορον, ὠμὸν, 13
βάσκανον, ἀπαίδευτον. Demoſthenes[13] & Cice- de falſ. legat.
ro[14] modò ventis eam, modò mari, Seneca 14
pecorum gregi comparat.[15] Cum enim in In orat. pro Mu-
comitiis de vita fortuniſque ciuium, de ſalu- ræn.
te reipub. ſtatuendum eſt, more magis quam 15
iudicio alius alium quaſi prudentiorem ſe- lib. de vit. beat.

16 quitur, [16] non aliter ac pecudes antecedētiū
Ex fragment. Salluſt. in orat. ad Cęſar. de repub. ordi. gregē, pergēs, inquit Seneca, nō quò eundū
eſt, ſed quo itur. Eóq; noſtri monēt [17] docē-
dum eſſe populum nō ſequendū. Egregium
erat illud pontificis cuiuſdam Rom. eruditi
17 hominis ac pij, [18] qui rogatus ecquid eſſet à
Can. docēdus 24. Diſt. can. miramur. 61. Diſt. veritate remotiſſimum, populi ſententiam
reſpondit. Sed ne prolixiores in re perſpicua
ſimus, argumento ſit vnus Iudæorum popu-
18 lus, ad cuius clamorem prouinciæ præſes in-
ſupplem. chron. uitus, & præter animi ſententiam Chriſtum
dominum crucis infami ſupplicio tradidit.
Ille nullam ſibi in eum horrēdi carminis le-
gem eſſe profitebatur: populus inſanus & vo-
ciferans ſibi legem eſſe dicebat, qua famoſo
latroni parceretur, cæterum innocētiſſimus
ille dei filius ageretur in crucē. Si verò exē-
plis domeſticis contenti Scotię reges animo
recenſeamus, plures bonos, quam male de
regno meritos, popularium libidine macta-
tos inueniemus. Quibus ex rebus quid inter
eccleſiæ populíque iudicium diſcriminis ſit,
intelligi poteſt: quòd illa numinis afflatu, hic
erroris genio regatur, eóque receptum eſſe,
vt quanquam pontifices ſacerdotum ſena-
tui ſubiiciantur, non ſubſint tamen populi
iudicio reges.

CAPVT 24.

HAnc rationem vt eludas, non vniuerſi populi iudicio rem permittendam ais, cuius perſpectam habes probè temeritatem & incōſtantiam, ſed ordinum comitiis, quibus ex vniuerſo populo ſelecti ſapientiſſimi quique ad regem in cōſilium coëunt. Deinde vbi apud eos προβούλευμα factū ſit, id rurſus ad totius populi iudicium reuocandum. pag. 32. & 88.

„ *Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?*

Nunc vniuerſum populum, nunc paucos ſelectos, rurſus vniuerſum, nunc maiorem populi partem ad iudicandum inuitas. Equidem quid tibi velis haud planè ſcio, ſed quid nobis maioribúſque noſtris hac in re iuris fuerit ſatis intelligo. Nihil enim vnquam in regem nec vniuerſo populo, nec paucis, nec maiori parti poteſtatis fuit. Quid enim maior pars, quid pauci ſelecti iuris habere poſſunt, quod non habent vniuerſi? Omnes enim libertate ſunt pares: nec copia, nec inopia, nec virtuti debitus honos, nec infamia turpitudini, ſuffragij ferēdi poteſtatē vel auget, vel minuit. Ac ſæpe fit, vt peſſimi numero vincant, ſæpe numero victi, plus factionibus & vi poſſint. Quod his annis viginti rerum Scoticarū naufragio ſæpius experti ſumus. Nam pauculi prædones Anglorū ope, conſilio, reliquam multitudinem infinitam,

viribus,numero,virtute,genere ſuperiorem, arte circumuenit, dolo cepit, armis oppreſſit. At equidem ſentio quorſum euadas, cùm regis coërcendi facultatem paucis defers. Spurij nimirum tyrannidi patrocinaris, qui paucorum coniuratorum opera, qui exterorum hoſtium copiis adiutus, domina debellata, & in exilium acta, quam vt interficeret capere non potuit, nõ tutelã infantuli principis, non regni procurationem, quam vulgo perſuaſerat, ſed iam vſurpato regni iure, quod ſuppoſitis matrimonij tabulis ſuum aſſerebat, totam animo Scotiam inuaſerat. Verùm aduerſus hæc inſurges, multatam trium ordinum iudicio principem, populi comitiis regali diademate priuatã, demandatam ſpurio regni curam. Dic, ſodes, habita trium ordinum comitia, quibus vix alij quam tres latrones, tres patriæ proditores, tres impij parricidæ cum ſuis aſſeclis interfuerunt, monſtri triformis, id eſt Chimeræ, quam ſimillimi, cuius flammis regnum illud miſerè conflagrauit. Nam ille crudelitate leonem, alter hircum ſalacitate, hic draconem morſu refert infernalem, cuius virulentia populus in rabiem verſus, à deo ſimul & à principe deſciuit. Sed numini gratia, principis legitimæ partu ſupereſt Bellerophõ nobis, qui virtute

maxima

maxima prædítus, vbi viſum ſuperis fuerit, ſeneſcentis belluæ reliquias conficiet. Quæ de trium ordinum iure diſputãtur, equidem fabuloſa nihilo minus eſſe reor, quam quæ de leonino monſtri capite vomẽtis ignẽ, de caprino ventre, de cauda draconem referẽte veteres poëtæ mẽtiuntur. Nam poſt cœptum Scotiæ regnum, multis ſæculis tertium ordinem deſiderauimus. Quin & hodie deſideramus, ex quo tempore ſpurius tyrannide potitus, ſacerdotum ordinem aboleuit. Si negas, in quorum perſona conſiſtat, peto. Miniſtelli veſtri vix numero decem, ſi cerdonum vulgus exceperis, ordini ſufficiunt? At ij poſt annos plus minus viginti ab inferis euocati, nulla patrum noſtrorum memoria fuêre. Sed eſto: iubente ſpurio ceſſerint ordinis eccleſiaſtici loco. Nullo igitur ante ſpurij tyrannidem loco erant. Nam legitimum principem nũquam fautorem habuerunt, qui locum iis in comitiis ordinum aſſignaret. Si poſt ſpurij tyrannidem introducti ſunt, duorum dũtaxat ordinum iudicio ſpurius regni procurationem adeptus eſt, tertij ſuffragio caruit, veſtris miniſteriis nondum in ordinem cooptatis, ſacerdotum collegio tyrannidem illius indigniſſimam execrante. Quin & ſacerdotum ordini lectiſſima no-

bilitas adhæſit: plebis maxima pars & innocentiſſima dominæ ſtuduit, quam pauculi perduelles cum hoſtibus regni Scotici perpetuis coniurati, quia ſaluo imperio ſecuri eſſe non poterant populi vocibus & conſcientia ſua rerum capitalium atque perfidiæ toties damnati, in furtiuis illis ſui ſimilium comitiis exuendam regno decreuerunt. Quoniam verò controuerſiam iſtam totam, pręſertim vbi ſpurii veſtri mentio eſt, moleſtam vobis & odioſam eſſe intelligo, redeo lubens ad theſin. Primũ igitur populariũ comitiorũ hanc rationem eſſe videmus, vt ſacerdotũ, nobilium plebis ſelectiſſimi quiq; ex ſingulis prouinciis atque ciuitatibus non niſi regio diplomate vocati coeant, apud regẽ, ſi quid eſt quod ſua interſit, ea ſubmiſſione ſui, ea omniũ reuerẽtia expoſituri publicè, quam alioqui ſinguli præſtare ſolent, vbi priuatarum rerum libelli porriguntur: Hęc comitia noſtrates & Angli Gallico vocabulo parlamentũ vocant, quod ſatis ſupérq; argumento eſſe poteſt, comitiorum illũ morem, quo vtimur, à Gallis ad nos perueniſſe, eodemq; iure agi quo apud illos. Id autem vocabuli Gallis colloquium ſignificat, quod à populo ſibi ſubdito reges interpellari ſe patiantur, & eò maieſtatem imperii demittant, vt cũ hominibus ſibi obnoxiis in

colloquium deſcēdant. In eo colloquio nullam eſſe populi poteſtatē arguunt diplomata, quibus ordines ad comitia vocantur. Nam iniuſſu principis citra maieſtatis læſæ notam cōuentus agi non poſſunt.[1] Deinde vbi ventum eſt in comitiū eminentem & cōſpicuum in ſublimi ſolio regem adorant, apud quem ſuppliciis & precib⁹ agitur, non imperio. Quę proponuntur ab ordinibus ita demum rata ſunt, ſi regi videatur: nec, vt in iudiciis, numerantur ſuffragia,[2] ſed ponderantur. Quin & ordinū ſupplicationes, cōſilia, ſententiæ loci nihil habent, niſi principis opinione laudentur. Quod enim regi minus probatur, id ne in acta quidē refertur. Quin & ſi quid ordinum conſilio decretum eſt, id rex, ſi minus è re ſua videatur, haud expectatis populi ſuffragiis abolere ſolet. Quid, quod comitiorū auctoritas nō ab ordinibus populi, ſed à rege dependet? quid, quod comitiorū acta regis, non populi, præ ſe ferunt nomē? Quid, quod ii qui populi nomine delegati comitiis interſunt, vocem nullā edunt obſequii, reuerētię, ſeruitii, quod regi ſpondent, expertem? Si quid rex ordinum ſuffragio ſtatuit, ſi quid populi precibus annuit, id non ordinum iuri, ſed humanitati principis acceptum ferre debemus. Quin & hoc principis humanitati tribuen-

1. *L.* 2. d. de colleg. & corp. illic.

2. L. Pomponius. & ſeqq. D. de re iudic. L. *Item ſi*. de recept. arbit.

dum eſt, quod audiēdis populi querimoniis ordinum concilium indixerit. In quo patitur abs ſe impetrari plurima, quibus alioqui minimè ſubſcriberet, niſi populi precibus & iuſto dolore vinceretur, quem præter animi ſui ſententiam potentiorum iniuria premi ſuſpicatur. Cùm enim ſingulorum negotiis ſupereſſe non queat; & alienis oculis plæraque omnia videat, alienis aurib⁹ audiat, multa legibus aduerſa fiunt, multa clam principe committuntur, multa etiam legibus omittuntur ſaluti publicæ neceſſaria, quibus nulla ratione melius, quã ordinum expoſtulatione, prouideri poteſt. Quę res maieſtatē principis illuſtriorem facit, cum ipſius benignitate plebi commendatur multa de iure ſuo concedentis, cum ab vniuerſo populo ſuſpicitur, ſupplicationibus agnoſcitur, obſequij, reuerentiæ, fidei ſponſione cenſetur. Ex quibus apparet nullam ordinum in iis comitiis eſſe maieſtatem, quæ iniuſſu principis nec agi, nec ſolui queunt. Non ita dudum coniurati decreuerant ordines Angliæ de re nulla prius in comitiis agere, quam Eliſabetha regina ſibi ſucceſſorem nominaſſet imperij. Quod illa cum accepiſſet, nihil ordinũ morata petitionem, iuſſit pro imperio comitia peragi, ſupplicationis inſolētia, & temeritate

Menſ. Octob. 1566.

popularium vnico verbo refutata, quos ante fati diem principi ſuæ ſepulcrum fodere dicebat. At ne ſilentio neglectum eſſe videatur, quod noſtratibus in more poſitum olim pueri notauimus, quid ſibi volunt ſolemnes illę comitiorum ceremonię, quibus ſceptrū, corona, gladius auro gemmíſque ſcintilians, ſupremi imperij & maieſtatis inſignia, nec populo, nec ordinibus, qui populi perſonam in conuentu publico ſuſtinent, ſed principi, vel abſentis principis legato præferuntur? His accedit, quòd reges, vbi lubuerit, iura per vniuerſas imperij ſui prouincias recepta, multis ſæculis obſeruata, non expectatis ordinum ſuffragiis abolere ſolent. Quod profecto facere non poſſent, ſi ordinibus eſſent inferiores, ſi populi poteſtatem ſua ſuperiorem agnoſcerent. Olim vniuerſæ Galliæ lex erat, ne litis impēdia, reliquias & acceſſiones præſtaret is qui cauſa cecidiſſet. Eam Philippus cognomento pulcer inconſultis ordinibus abrogauit, Romanū ius edicto ſanciens, cuius æquitatem peruerſę conſuetudini pręferebat.[1] Olim populi Gallici moribus in rerum priuatarum iudiciis à teſtimonio arcebantur fœminæ. Carolus eo nomine ſextus iniquo mori tollendo comitia non indixit, ſed pro imperio & poteſtate vetuit, ne porrò

1 L. cū quē. D de iudic. L. non ignorat. C. de fiuc. & lit. exp. L. properandū. §. i ſin autē. C. de iudic.

judiciorum valuæ fœminis occluderentur. Quot externorum, quot noſtrorum regum edicta ſunt, quot leges, quas partim haud interpellato, partim inuito populo promulgarunt? Quod cùm ipſe non ignores, ecquod certius argumentum attuleris ſummæ poteſtatis & imperii? quiſquis enim arbitratu ſuo condere leges, mutare mores, populi cõſuetudines antiquare poteſt, eum cæterarũ omnium rerum cõpotem eſſe quis vnquam dubitauerit? quod ſi ſumma poteſtatis & imperii in regum perſona cõſiſtit, eius nihil in ordinibus populi reſidebit. quia diuidi certè non poteſt. Populus igitur omnino priuatus agit, quod antè docuimus, ac paulo pòſt latius oſtendemus, vbi de iuriſdictione diſputatio nobis inſtituetur. Nunc ſatis fuerit exempla rerum geſtarũ excuſſiſſe, quibus exauctorati reges opinione tua, populi ſubeunt judicium, vinculis, verberibus, gladio ſubiiciendi, ſi quid aliter ac ipſi videatur, in rerum adminiſtratione ſucceſſerit.

Cap. 25.

QVoniam verò nihil exemplis actum eſt tibi, rationũ momẽta ponderemus, qui bus id aſtructum arbitraris. Occurrit primo loco *perpetuus ille mos à primis vſque temporibus*
pag. 66. *continuatus. Reges noſtri cùm publicè inaugu-*

vantur, populo vniuerſo ſanctè promittunt, ſe leges, & maiorum ritus, veteráque inſtituta ſeruaturos, eóq; iure quod à maioribus acceperũt vſuros. Oſtẽdit totus ille ceremoniarũ ordo, primique regum aduentus in ſingula oppida: è quibus omnibus facilè intelligi poteſt, qualem à maioribus acceperint poteſtatem. Non aliam videlicet quam qui ſuffragiis electi in leges iurant. Iuſiurandum certè reuerentiã, cultum, & honorem præ ſe fert eius cui præſtatur. Quo fit, vt non clienti dominus, ſed domino cliens (quanquam inter vtrumque officiorum mutua quædam obligatio eſt) ſacramenti religione fidem & obſequium adſtringat. [1] Quod ſi rex populo iurat in leges & maiorum inſtituta, populum certè ſuperiorem, imo dominum agnoſcit, cui non facienda fugiendáq; præſcribat, ſed à quo vitę legem accipiat. Iuſiurandum enim auctoramentum eſt obſequij, quod ab homine tenuioris fortunę ſuperiori debetur. Regis fortuna populi conditione deterior eſt? Ecquo rex officio populum ſuperiorẽ agnoſcit? nullo, ſed regalia iura, de quibus ſuo loco, teſtimonio ſunt, vitã fortunáſq; ciuium ex principis liberalitate pẽdere. Quibus ſi rex inferior eſſet, iã non regia, ſed populari dominatione teneremur. Quod igitur de perpetuo more fabularis, quẽ à primis vſq; tẽporibus

1. De form. fidel. lib. 2. feud.

continuatum ais, nullam veri ſimilitudinem
An.879. habet. Nam antè Gregorij tempora Scotiæ reges ſacramento non erant obnoxij. Sed is pietate motus, qua nemini concedebat, vbi faſces accepit imperij, ſolẽni ſpõſione Chriſtianæ religionis, libertatis eccleſiaſticæ, ſacerdotúmq; ac ſacrorum miniſteriorum defenſionem iurauit, edictóq; ſanxit, vt cæteri porrò reges cò ſacramento ſemet obligarẽt. Non igitur à primis regum temporibus, ſed poſt mille ducentos annos imperij Scotici, aut eo paulo minus, hic Scotis regibus mos inoleuit. Neque tamen, vt tu quidem interpretaris, populo iurãt, cuius nullo beneficio capiũtur, qui non adeſt inaugurationi iuſiurandũ delatur⁹, ſed deo, à quo ſceptrũ, à quo ſummã ditionẽ acceperũt. Quod ex eo licet augurari, quod in epiſcopi manu iurãt, à quo ſacrantur, non, vt tibi quidẽ videtur, in politicas leges, ſed in dei cultum & honorẽ, in libertatẽ eccleſiæ tuendam, operam daturos, ne quid ſacris magiſtratibus inferatur, iniuriẹ, ne quid dãni Chriſtiana capiat reſpub. ne quid de patrũ religione decedat. Si legib⁹, ſi morib⁹ ſacramẽto ſemet addicerẽt, ſine periurio legem ferre non poſſent vllam, nec cõſuetudinẽ abolêre, quamuis patriẹ peſtiferã. Eos enim perpetuæ legũ, perpetuẹ morũ ob-

ſeruationi iuſiurandum mancipauit. Cùm autem noua lex fertur, ſi nõ vetus aliqua lex, certè cõſuetudo vetus abrogatur. Alio enim inſtituto ante legẽ, alio more viuebatur, alio poſt legem regi populariũ vita iubetur. Rex igitur ſi iurauit in leges, ſi maiorũ ritus, veteráque inſtituta ſeruaturum ſe recepit, exuit imperio ſeſe, ac poteſtate legum iubendarum abdicauit. Peierat enim ſi legẽ tulerit. Quin & omnes à Gregorio reges periuri fuerũt, ac ſuperis inuiſi, qui maiorum inſtitutis antiquã dis optimarum legum auctores ſeſe prębuerunt, quib⁹ vixit valuítque res Scotica, quoad veſtrę coniurationes haud ita pridem malo genio ſuggerente, nouis in religione, nouis in politia legibus, omnia profanarunt. Iurãt igitur noſtri reges, non ea quam tu præſcribis formula, ſed quã à maioribus traditam acceperunt. Quid verò, quod plærique ne iurant quidem? Quot enim pueri, quot infantuli regnum obtinerunt? Is qui nunc regnat, antequam ſacramẽti verba nũcupare poſſet, imo antequã linguæ cõpos eſſet, inauguratus eſt. Vix enim vnius anni puellus rex ſalutatus eſt ab iis qui patrem interfecerant, qui nondum natum ſuffocatum volebant, qui matris aluo latentem cum matre curauerant extinguendum. Verbo regem appellarunt, quem ferro

tollere decreuerant. Nam quod ſpurio, quod Mortonio ſupereſt, id ſaluti matris acceptum ferre debet. Quam ſi præhendere potuiſſent fuga dilapſam, vt erat illis in acie mãcipii cuiuſdam nequiſſimi perfidia prodita, eam ſpe cie iuris oppreſſam mariti manibus immolaſſent, mox infantulum materni regni ſucceſſorem, ſi nõ aperto ſcelere, ſi nõ manifeſto parricidio, certè clandeſtino vel veneno, vel ferro in ipſis crepundiis patri matríque victimã dediſſent. Hunc vos ſalutãdi regis morẽ euãgelii nimirum docuerunt oracula, quæ Pilatum prouinciæ præſidem, quæ Pilati milites Chriſto ſic illuſiſſe referunt. Nos verò qui ſcelerata veſtra comitia deteſtamur, quibus pauculi prædones, nullo iure, nullo more, ſed ioco ludóq; regẽ nominaſtis, vt à capitibus veſtris paricidii ſuſpicionẽ amoliremini, vt vitaretis toties debitã perfidię pœnã, vt maieſtatis tandiu læſæ crimẽ aboleretis, cũ nõ ludibrio principem, nõ aſſentatione regem, non ſimulatione dominũ, ſed obſequio, fide, reuerentia fatemur, & ſi nondum vlla vobis iuriſiurãdi religione deuinctũ. Ex quo intelligi poteſt, etiã ſine ſacramẽto regnari. Quod vt præſtetur in ipſorũ regũ manu ſitũ eſt, quibus nihil confert ſacramentũ, quod ipſis alioqui ſanguinis iure non debeatur. Neque Gre-

gorius auctor huius inſtituti legẽ poterat vllã dictare poſteris, qua tenerentur inuiti. Eadẽ enim omnium regũ poteſtas eſt, par imperiũ. Quod de primo regum in ſingulas vrbes aduentu narras, ac toto illo ceremoniarũ, ordine, quid ſibi velit haud quaquã intelligo. Morẽ enim equidẽ nullũ obſeruari ſolitũ video, quo rex ad ſacramẽtum populo præſtandum adigatur, niſi fortè quod ſemel à regina factũ aiunt, id tu mori tribuis, id tù iure factũ autumas. Nã illa poſt maritum in Gallia fato defunctum auito natalíque ſolio ſolóque reddita, cùm ſoléni põpa Ethimpyrgum, regiã vrbẽ, ingrederetur (ſi vera ſunt quę per id temporis ea de re multorum ſermonibus in Gallia percrebreſcebant) propoſito vetere, nouóque Chriſti fœdere, veſtris ſcholiis interpolato, corrupto ſententiis; interpretationibus adulterato, nihil immutaturam ſe de præſente religionis reíque publicæ ſtatu iurauit. Quod tum primum contra vim & auctoritatem ſupremæ ditionis in illo regno toleratum eſſe didicimus. Sed quoniam id exẽplo nouum erat, & Chriſtianę religionis, atque maieſtatis regię damno fiebat, quia tamen factionibus veſtris impar erat, quia rebellioni reſiſtere non poterat per impia veſtra miniſteria ſuſcitatę, extortum vi, fraude iuſiu-

randum religione maxima cautum habuit, vt quieti ciuiũ & otio cõſuleret. Hoc principiũ regiæ maieſtatis oppugnandę ſecuta ſunt ea, quæ non ita diu pòſt, quæ nunc eã vrgent incõmoda. Hæc enim totius fundi calamitas, hæc malorũ cauſa fuit, quibus iuſiurandum in Chriſtianę pietatis, in maieſtatis regię fraudem iniquiſſimè datũ, cœleſte numẽ vlciſcitur. Sed vt faceſcat religio, cuius cognitio nõ eſt hui⁹ fori, cùm iiſdẽ inſtitutis agamus, quibus Angli, quib⁹ Galli, quibus vicini populi, nec illi ſingularũ vrbiũ triumphis adeũti primùm regi decernẽdis, eũ hoc genus ſacramẽto cõſtringãt, quo iure nos principẽ noſtrum ad fidẽ iureiurando firmandã cogemus? Nõ Moſaïco, quanquã eo miniſterio veſtrã Scotiam regi voluerunt. Non Romano, cuius definitionẽ Scotiæ regnũ contineri putas. Nec enim Iudaïci reges, quanquã ſanctiſſimorum vatũ manibus conſecrati: nec Romani imperatores, quanquã populi beneficio cõſtituti, populo iurabant. Niſi fortè nobis Traiànum obiicias, qui cùm imperio conſulatum adiiceret, non aliorũ imperatorum, ſed aliorum conſulũ more iurauit. Nõ erat ille primus imperatorũ conſul, ſed primus illud in conſulatu modeſtiæ ſpecimen exhibuit, ſubmiſſo legibus imperio. Vltrò ſe voti reum fecit, ad

quod inuitus adigi non potuiſſet. Hinc nimirum illa encomia, hinc panegyricæ voces, hinc auguſtæ laudes.[1] *Peracta erant ſolẽnia comitiorum, ſi principẽ cogitares, iámque ſe omnis turba commouerat, cùm tu mirantibus cunctis accedis ad cõſulis ſellam, adigendũ te præbes in verba principibus ignota, niſi cum iurare cogerent alios. Stupeo Patres Conſcripti, necdum ſatis aut oculis meis aut auribus credo, atque identidem me an audierim an viderim interrogo. Imperator & Cæſar, & Auguſtus, pontifex maximus ſtetit ante gremium conſulis, ſedítque conſul principe ante ſe ſtãte, & ſedit interturbatus, interritus, & tanquam ita fieri ſolẽret, quinetiam ſedens præbuit iuſiurandum, & ille iurauit: expreſſit, explanauítque verba, quibus caput ſuum, domum ſuam, ſi ſcienter fefelliſſet, deorum iræ cõſecraret. Ingẽs Cæſar, & par gloria tua, ſiue fecerint iſtud poſteà principes, ſiue non fecerint. Vllàne ſatis prædicatio digna eſt, idem tertiò conſulem feciſſe quod primò? idem principem quod priuatum? idem imperatorem quod ſub imperatore?* 1. Plin. in panegyr. ad Traiã.

Nõ ex his liquet ſatis inſolẽs hoc & inauditũ fuiſſe iuſiurandum, quod admiratione tanta, quod tot laudibus exceptũ ſit? Poſthũc Theodoricus, vt *S.P.Q.R.* gratiam iniret, id ſacramenti renouauit, quo facto ſe mirificè præbuit celebrandũ. Ecce, inquit ille,[2] Traiani noſtri clarũ ſæculis reparam' exẽplum, iurat 2. Caſſiodor

vobis per quem iuratis. Hoc Grægorius noſter, hoc alii pòſt reges, hòc ſummi principes imitati ſunt, quò ſe populo redderent cariores demiſſione ſui, exẽplo humanitatis & modeſtiæ, temperamento ſupremę dominationis & imperii. Iurarunt in leges, quas eò populo ſanctiores fore ſciebant. Nã ſi principes ſoluti legibus earũ obſeruationi ſeſe deuinciũt, quanta cautione veniunt popularibus obſeruandæ? Hoc igitur agunt reges cùm iurant, ſi minus populares videri volunt, ſi moderationis, ſi modeſtiæ non captãt laudẽ, exemplo certè populares ad imperii reuerentiã, ad cuſtodiam legũ inuitãt. Neque tamen populo iuſiurandũ, ſed numini præſtant, cuius vnius imperio & maieſtati decedunt. Nam & Traianus Cæſar hujus auctor exempli populo iurare non poterat, cuius iam auctoritas, cuius poteſtas omnis imperatori lege regia ceſſerat. Plinius id in laudatione panegyrica demõſtrat. *Iurat, inquit, legẽ attendentibus diis. Nã cui magis quam Cæſari attendãt? Iurat obſeruantibus iis quibus iurandum eſt, non ignarus alioqui nemini religioſius quod iurauerit cuſtodiendum, quã cuius maximè intereſt non peierare.* Non abſurdum eſſet eum populo iurare, per cuius ſalutẽ populus iurat?[2] Magnum enim & religioſum eſt hoc ſacramenti genus,[3] ne putes id paga-

2. L. ſi quis maior. C. de tráſact. L. 2. C. de reb. cred. L. ſi duo. parag. vlt. D. de iure iur. Nouell. Leõ. de tabular.

3. Tertull. in apologet. cap. 32. Veget. de re militar. lib. 2. cap. 5.

norum hominum duntaxat,ac non Chriſtianorum vel conſuetudine, vel lege receptum. Quin & Hibernis tuis ſolemnis eſt ſacramēti formula,quæ per phylarchi manum vel pedem concipitur. Iurabit igitur populo is, per quem populus iurat? Romano iure libertis à patrono iuſiurandū exigere non licebat,[4] cuius perſona ſancta iis & honeſta videri debebat.[5] Ac eo iure quo vtimur domino cliens, nō clienti dominus ad fidei ſacramentū obligatur.[6] Nam in iis quæ reuerentię ſunt,honoris,aut dignitatis patrono libertum, domino clientē æquari nefas. Eóque ſi dominū cliēs oſtenderit,perfidi ac proditoris appellatione traducitur:ſi dominus clienti vim aut iniuriā fecerit , quamuis iuriſdictione, quāuis omni iure,quod in eum prius obtinuit,exuatur,perfidiæ tamen,proditionis,aut periurii notatione neutiquā ſugillabitur.[7] Olim maximi natu Scotorū regū liberi propter Northūbriæ, Vueſtmariæ,Cūbriæ, & Hondintoniæ prouincias Anglicę ditionis,quas regis Angli beneficio tenebamus,ſolēni iureiurando fidem ei & obſequium clientelari lege ſpōdebant. At iis pòſt Anglię regno cōſolidatis,vt noſtrorū vtar verbo, neminē Scotiæ reges, eorūve liberi,vllo iure ſuperiorem agnouerunt: nulli nec populo , nec regi ſacramenti religione

4. *L.* iuſiurādum & ad pec. D. de iureiur. *L.* de die. §. iuuetur. qui ſatiſd. cog. *L.* qui bona. §. pen. D. de dam. inf.

5. *L.* liberto & filio. D. de obſeq.

6. Tit. de form. fidel. lib. 2. feud. Andr. *Iſern.* ad cap. Imperialē §. illud quoque. in fin. de prohib. feud. alien.

7. Iohan. Andr. in cap. 1. de feud.

vixerunt obſtricti. Faceſſant igitur aniles fabulæ, de iureiurando regum vbi primum ſingulas vrbes inuiſunt. Nam & illæ quas non inuiſunt, nihilo minus iniuratis regibus obnoxiæ ſunt, quàm cæteræ iuratis, Cùm igitur ſacramēto nihil ditioni regum accedat, cum parem ciuitates omnes præſtent regibus iuratis, iniuratis obedientiam, cùm eodem teneantur imperio, quid illæ quas ais regibus conferunt ceremoniæ? quorſum diræ? quorſum religionis obligatio?

Cap, 26.

HAc ratione, quam tu firmiſſimam fore iudicabas, viribus & neruis deſtituta, ſtylum ad ſacra vertamus, quorum maligna in-
pag. 69. terpretatione Chriſtianis hominibus fucum facere conaris. In regum hiſtoria dicis non regnorum iura deſcribi, ſed ea vitia carpi, quę in tyrannorum vita dominus execratur, idque neſcio quibus coniecturis argui. *Primùm ſtultè regem expetitum à populo, cùm Samuelem legitimum regem haberet, eoque non regem ſed tyrannum expetitum*. Quot ex eò etiam coniici putas, *quod regem petierint qualem vicinæ gentes habebant, qui domi iudex, foris imperator eſſet. Erant autem reuera tyranni. Nam Aſiæ populi ſeruili*

ſeruili animo ſunt, eóque facile tyrannorũ parebãt imperiis. Neque vſquam ab hiſtoricis mẽtio fit legitimi regis in Aſia. Deinde formulam ais in deuteronomio [1] antè pręſcriptã, longè diuer 1. ſam ab ea quã ex regũ hiſtoria [2] repetũt, qui cap. 17. 2. in tyrãnicæ dominationis aſſertionẽ ſacrorũ cap. 8. lib. librorũ oraculis abutuntur. Nõ poſſum ſatis 1. Reg. mirari te, Buchanane mi, hominem ętate grauem, vſu peritũ, eruditione præſtantẽ, ita leuiter coniecturis agere, fingere myſteria, quorũ certa ſit, Chriſtianorũ omniũ iudicio, ſententia. Nã hac in re nobis etiã Caluiniani, cæteríque aſſentiuntur hæretici, Samuelem, Sãſonẽ, Iephten, Gedeonẽ, Iudã, cæteróſque poſt Moyſen fato functũ Hębręorũ iudices, nõ popularium ſuffragiis electos, non ſorte vel naſcendi conditione oblatos, ſed arcano & inuſitato more extra ordinem à numine vocatos, qui domi conſilio populum & auctoritate regerẽt, foris, vbi res poſceret, imperatorũ partes obirent. Verùm vbi populus aliquandiu ſine iudice, ſine duce, [3] licẽtia turbas atq; 3. ſeditiones prouocante, in magnis rerum an- Iudic. 17. 18. 20. 21. guſtiis egiſſet, ac pòſt reſtitutis iudicibus, eorum liberi parum religioſè rem vel diuinam facerent, vel profanam, tædio priſtinæ moderationis, aliarum gentium inſtituto regem 4. 1. reg. petiuit [4] certum & ordinarium, vt loquũtur, cap. 2.

qui quoties offerretur occaſio, & togę nego-
tiis, & belli ſupereſſet. Quoniam autem non
contenti Samuele rempub. gerente, regem à
numine poſtularunt, qualem vicinæ gentes
habebant, tyrannum expetitum ais, non re-
gem: nec in regum hiſtoria regni iura, ſed ty-
5. 1.reg.8. & 10. rannidē deſcribi. Quod profectò mihi nun-
quam in animum induxeris, niſi lapſum eius
6. Thom. Aquinas lib. 3. de regim. princ. Iohan. Gerſon. in remed. cōtr. adult. 4. part. oper. auctorem hiſtoriæ probaueris, qui quam tu
tyrannidem vocas, nunc ius regis, nunc
regni legem appellat. 5 Nec tamen id iuris
paſſim ac ſine diſcrimine regibus vſurpandū
eſſe cenſeo, ſed vſu duntaxat rerū exigente,
difficillimis reipub. temporibus. 6 Neque
enim ea quæ eo loci proponūtur ſacroſancti
vox oraculi regibus facienda præcipit, ſed
7. Senec. libro. de beneſ. cap. 4. pro poteſtate & imperio facere poſſe ſignifi-
cat: ac ſi fecerint, non eſſe populi ab iis ratio-
nem exigere, quorum ditioni ſe ſuáque vo-
8. L. bene a zenone ff. ſancimus. C. de quad. preſcr. L. deprecatio D. ad leg. Rhod. de iact. can. dicat 23. quæſt. 5. luntate iudicióq; ſuo mancipauerit. Regum
enim omnia ſunt dominio, ſingulorum vſu.
Regum ſunt omnia proprietate, ſingulorum
poſſeſſione. 7 Hæc enim ſapientiſſimi viri
mens eſt, qui ſic omnia ſapiētis eſſe diſputat,
quemadmodum iure ciuili ſunt regis. 8 Ex
quibus intelligi par eſt, à ſacro vate non ty-
rannidem, ſed regni legem proponi, nec huic
formulæ deuteronomii legē aduerſari. Nam

ſi perperam ac temerè, ſi ſuperbè, ſi nullo modo neque fine rex per ciuium bona graſſatur, ſi humanitatis oblitus & modeſtiæ.

cuncta per oppida curuis
Vnguibus ire parat nummos raptura Celæno,

nihil eum illa regni lex excuſat, quæ nulla ratione tyrannidi patrocinatur. Verùm vbi res ita tulerit, vbi maiores ſumptus publica neceſſitas exegerit, quam quos fiſcus, quos regium patrimonium ſuppeditare queat, iure ſuo, ac regni lege priuatorum facultatibus vtetur vt ſuis: 9 non quas popularium ſudore partas aulæ ganeonibus effundat: non quas munduli quidam ac venuſtuli nebulones, nõ quas luxu & nequitia perditi iuuenes abſumant, non quas aulici fœneratores improbo conſilio emolumenti publici ſpecie cum populi diris imprecationibus incauto principi, ac nimium fidenti, in ſuum commodum extorqueant: ſed quas reipub, negotiis neceſſario tempore fideliter impendat. Id enim tyrannidis extremum eſſet, cui nullam à ſanctiſſimo vate propoſita regni lex defenſionẽ adferre poteſt. Quod ſi tyrannidem eo loci deſcribit, ſi tyrannũ populus expetiuit, tyrannica fuit Saulis regis inſtitutio: tyranni fuère Dauid, Salomõ, Ioſias, Ezechias, cæterique Iudæorum principes, quorũ in populares of-

9 l. Item ſi verb. D. de rei. vind. & ibi Angel. felin. cap. quæ in eccleſiarum. de conſtitut. Boer. conſ.24. nu.23.

ficia diuinorum teſtimoniorum oraculo, for titudinis, ſapientiæ, religionis, iuſtitiæ, humanitatis & modeſtiæ laude prædicantur. Tyrānidis auctor fautórque fuit ipſe deus, qui tyrānum ſtultè poſcenti populo cōſenſit. Sed nullam ea res veri ſimilitudinem habet. Regem enim à deo populus, non tyrannū poſtulauit. Nec enim ille tyrannum poſtulanti annuiſſet: nec ſi Samuel legitimus rex erat, in eius contumeliā alium iniquè petenti populo cōceſſiſſet. Regem porrò non fuiſſe Samuelem vel ex eo licet augurari, quòd ſacrorum librorum anctores iudicum regúmque nomina diſtinguant. Iudam, Gedeonem, Sāſonē, Iephten, atq; id genus cæteros extra ordinem ad reipub. curam vocatos, iudicum nominibus appellarunt: Saulem, Dauidem, Solomonem cæterósque vel ſorte, vel naſcendi lege datos regum titulis extulerūt. Quin & multis antè ſæculis quàm in Iſraële regnatū eſſet, Moyſes aliorum populorum inſtituto regnatū iri prædixit, eóque nō tyrannum, ſed regē inſtituit, 10. Deuter. 17. cui hoc vnum edicit, [10] quod omnia regalis vitæ præcepta còntinet, *ne populum in Ægyptū reducat*, id eſt, ne flagitiorum ac ſcelerum exemplo ad peccandum inuitet. Quin & ſacroſancta vaticinia Meſſiam, ſeruatorem ad dominum ex Iudęorum regum, non ex tyran-

norum ſobole miſſum iri pronunciarunt. Tyrannum igitur à populo petitum, quod vicinarum gentium exemplo regẽ voluerit, haud vnquam facilè mihi perſuaſeris. Neque enim vicinæ gentes tyrannide regebantur. Nã id nuſquã tibi ſacra prodidit hiſtoria, nec alio niteris in eius rei fidẽ argumento, quàm quod *Aſiæ populi ſeruili ſunt ingenio, eóque factum, vt facilè tyrannorum paterent iniuriis: nec vſquam legeris apud hiſtoriæ ſcriptores in Aſia legitimè regnatum*. Legiſſe certò ſcio, ſed ſcribenti non occurriſſe, lapſúmque memoria ſenem. Quin Ægyptum, Arabiam, Syriam, Phœnicia, Perſas, Medos, Armenios, Parthos, Indos, animo percurriſti, cum iſtud meditarere? Nullum in iis, nullum in aliis infinitis, quos nominare non vocat, Aſiæ populis legitimum regem inueneris? Quid Iudæorum reges, Dauid, Salomon, cæteríque? Legitimi non fuerũt? Si tuo legitimos reges iudicio metiamur, certè pauciores in Europa & Africa, quam in Aſia reperiemus. Quod autem de ſeruilibus Aſiaticorũ populorum animis attuliſti, doctiſſimorum hominũ teſtimonio refellitur. M. enim Tullius eos ex omni genere hominum humaniſſimos appellat,[11] in quibus ipſa nõ modò ſit, ſed etiam à quibus ad alios perueniſſe putetur humanitas. Solinus Aſiatica ingenia

11. Epiſt. 1. ad Quint. frat. lib. 1.

12. per gentes inclyta fuiſſe cõmemorat. [12] Nõ
cap. 43. polyhiſt. igitur humilia, non demiſſa, non abiecta, nec ad ſeruiendum nata, ſed ad honorem & gloriam erecta fuêre, cuius in præclariſſimis animis maximas contentiones exiſtere [13] non
13. Cicer. lib. 1. offic. ignoras. Verùm eſto, nunquam niſi tyrannicè regnatum ſit in Aſia: tyrannum, non legitimum regem, expetiuerint Iſraëlitæ: in regũ hiſtoria tyrannorum mores, non regnorum iura, deſcribantur, quid inde conſequentur? Excutienda regum iuga? populũ ad pilca vocandum? tyrãnidem rebellione vindicandã? ſubeundum populi iudicium? Leonis inſtar aut vrſi regem à popularibus excipiendum? Nihil minus. Nã quę diſputantur eo loci, toleranda regum imperia ſignificant, quamuis in tyrannos degenerent, & benignitate numinis, à quo poteſtatem acceperunt, abutantur.

Cap. 27.

ID EVINCVNT & illa Pauli, quę tu nihilo fidelius interpretaris, qui non modò pro regibus orandum eſſe monet, [1] verumetiam iis
1. 1. Timoth. 2. ad Coloſſ. 3. ad Rom. 1. 3 obediendum per omnia, reſiſtendum autem nulla ratione, niſi damnationem ipſi nobis acquirere velimus. Neque enim homini, ſed deo reſiſti, regiæ ditionis, atque adeo pote-

ſtatis omnis auctori. Tu de bonis tantùm regibus eam Pauli præceptionẽ intelligi iubes: malis enim, ſanctiſſimi viri iudicio, reſiſti oportere. Cuius rei ſi vel leuiſſimam coniecturam adferres, cauſa tibi prodita è proſcenio curię diſcederem. Sed cùm ille poteſtatẽ omnem acceptã numini referat, & exemplo vitæ malorum etiam principum & impiorum obedientiã confirmauerit, quid eſt quod de præcepti ſententia dubitemus? Eius collega Petrus honore principes & obſequio coli iubet, ac pareri dominis οὐ μόνον τοῖς ἀγαθοῖς καὶ ἐπιεικέσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς σκολιοῖς. [2] Chriſtus dominus Pilato Iudææ præſidi, quamuis iniquo & prauo, delatã cælitus poteſtatem agnoſcit. [3] Idem Petro comminatur, quod in impia magiſtratuum miniſteria gladiũ diſtringueret. [4] Hæc conſulere debuiſti nũcii cæleſtis oracula, priuſquam de Pauli mẽte iudiciũ tuum interponeres. Nã quæ de Chryſoſtomo detorta ſunt, nihil inſtitutę diſputationi reſpondẽt. Quod enim ille Pauli verba non de tyranno putat intelligi, ſed de legitimo magiſtratu, ac vero dei miniſtro, cui traditus ſit ab eo gladi' quo tueatur bonos, malos coërceat, id magnopere nobiſcũ facit. Tyrãnũ enim dei miniſtrum eſſe negamus: negamus ei cõceſſam à numine gladii poteſtatẽ, ſed irato potius &

[2] 1. Petr. 2.
[3] Iohan. 19.
[4] Matth. 26.

vetante per vim & ſcelus vſurpatã. Reges autem, qui vel genere, vel optione populi, vel alio iure, patriæ legibus aut inſtitutis hominũ cõſentaneo, ſummam rerum obtinuerũt, vbi tandẽ ille tyrannorum vocabulo definiuit? vbi tandem iis, & ſi malis & impiis, inſultandum eſſe docuit? Impius & idolorum cultor erat Aſſyriorum rex, cum tamẽ ſeruum deus appellat ſuum. Hic populũ Iſraëliticum, exoculato rege poſt iugulatos in ipſius conſpectu liberos, captiuum abduxit, hic auguſtũ illud Hieroſolymæ templum demolitus eſt: hic ſacra dæmonibus inſtituit cultu numinis abrogato: hic effigie ſua ſtatuã auream pro numine colendam edixit, & tamen iſta populus non tantum animi demiſſione maxima ferre verumetiam pro victoris ſalute vota concipere iubetur, diris in eos imprecationibus qui vel defectionẽ molirẽtur, vel imperata facere detrectarẽt.[5] Tu verò cùm hac ratione teneare cõſtrictus, ęſtuas. At ne peſſimorũ etiã regũ poteſtatẽ à numine cõſtitutã eſſe fateare, ne dei miniſtros agnoſcas, ad dialecticorũ ſcholas nos remittis, qui nihil hoc exemplo, quod tu ſingulare vocas, effici doceant. Prophetam enim non omnibus tyrannis, ſed vni Aſſyriorum regi parendum eſſe iubere. Quin & id contrario Achabi exemplo

5. Hierem. 25. & Ezechiel. 29. pag. 75.

refutas:pòſt etiam odioſa comparatione regum & carnificum eludis. Quibus vt ordine reſpondeam, equidem nō ex dialecticorum modò, verumetiam ex iuriſconſultorum lectione didici, nihil ſingulari facto cōcludi. [6] 6.
τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται, δὲ τὰ παραλόγου. Legum enim materiam præbent eæ res, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt, vt ait Theophraſtus. Hæc profecto ciuilium legum eſt natura, quæ plærumq; concedunt vni, quod cęteris inhibetur. Sed diuinarum legum alia ratio eſt, quæ priuilegia non patiuntur irrogari. [7] quæ perſonarum diſcrimen & exceptionem ignorant: quæ quod vni præcipiūt, omnibus imperatum intelligunt: quod vni denegant omnibus interdictum eſſe volunt. Quod igitur ais, non iuſſiſſe prophetam, vt omnibus tyrannis parerent Iudæi, ſed vni Aſſyriorū regi, quid ad rem? Quorſum enim omnibus parêre iuſſiſſet, cùm vni tantum eſſent obnoxii? Sed tu qui dialecticarum nobis legum inſcitiam exprobras, vide quàm in ipſis artis elementis turpiter impingas, qui auctoritate vatis in vim argumenti negantis abuteris. An enim quia propheta non iuſſit, vt populus iniquis etiam regibus & malis obſequeretur, eò denegandum iis eſt obſequium? eò reſiſtendum eſt imperiis? eò ſa-

L. iura. & ſeqq. D. de legib.

7. 2. paralip. 19. Act. 10.

croſancta poteſtas, & voluntate numinis iudicióque ſtabilita, rebellione venit & armis oppugnanda? Hoc dialectici negant eſſe conſequens: & tamen hac tu ratiocinandi forma in regũ auctoritatẽ inuadis. Sed vt faceſcant iſta, quid ſi negem iſtud exempli, quod à ſanctiſſimo vate legis loco proponitur, eſſe ſingulare? quid ſi multis aliis cumulatum oſtendero? quid ſi nuncii cœleſtis oraculo confirmatum? quid ſi pro lege cautum? Perlege ſacrorũ voluminum hiſtorias, infinita pręſtitæ flagitioſis & impiis regibus obedientię teſtimonia reperies. Quæ quoniã à nobis poſteriore libro de coniunctione religionis & imperii ad nauſeam vſq; recitata ſunt, hic ea rurſus inculcare, ac veluti cramben repetere, ſuperflui laboris eſſe reor. Vnũ porrò Dauidis, quod omniũ inſtar eſſe debet, haud quaquã ſilẽtio prętereundũ eſſe cenſeo. Is enim quãquam Saülis imperio ſolutus, quẽ caput ſuũ appetentem, diuina omnia & humana profanantem, ſemel atque iterum opprimere potuiſſet, ſi vel ſuas, vel publicas vlciſci voluiſſet iniurias, tamen religioni habuit in eum manus injicere, quem Deus in regem vnxerat, ſacroſanctum popularibus habendum, & honore, officio, dignitate reuerendum.

De Chriſtianorum in impios reges obſequio vide Euſeb. Cęſar. hiſtor. eccl. lib. 3. cap. 27. Niceph. li. 3. ca. 17. & Tertius, in apol. cap. 2.

8.

1. Regum. 16. 24. & 26.

Hac religione ductus non ipſe modò à rege iniuriam abſtinuit, ſed etiam vt alios officij moneret in reliquos porrò principes, vt ne verbo quidem ſacroſanctam illam poteſtatem violarent, Amaliciten extremò ſupplicio multauit, quis regis occiſi mendacio ſe iactauerat. [9] Huic exemplo Danielē adijcio, qui Nabuchodonoſoro primùm, deinde etiā Dario Cyrióq; fidelem operā in illo Iudæorum exilio nauauit. [10] Quin & Sedechiæ defectionē ab impio rege diris execrationibus inſectatur Ezechiel. [11] His tu, quod vnicū in regum hiſtoria reperiri fateris, Achabi exēplum opponis, cuius filium Ioramum, cum matre, cum ſeptuaginta fratribus, cum patruis quadraginta, cum tota ſtirpe regia, cum dæmoniorum ſacrificulis, Iehu tyrannicè regnantem interfecit. Interfecit certè non iam regem, ſed oraculi iuſſu priuatum imperio. Nam vt id facinoris auderet, prius inaugurato ſpeciatim ei & diſerte mandatum erat. [12] Quod ſi nos ad noui fœderis exempla conuertamus, quotquot inſtituto Chriſti vixerunt, nunquam ne tyrannorum quidem refugerunt imperia, ne dum iis armata vi reſtiterunt: in eo principem ſecuti ſuum, qui quanquam multis angelorum

9. 2.reg. 1.

10. Daniel 3. 4. 5. & deinceps.

11. Ezech. 17.

12. 4. Reg. 9 & 10.

legionibus populi,pontificum, & Pilati præſidis obſtare potuiſſet iniuriis,ſe ipſe neci obtulit, vt morte firmaret quod in vita docuerat,patientia leniter & placidè ferendam,nō vi repellendam iniuriam. Sic enim erga gen⁹ hominū vniuerſum affectos eſſe iuſſit, vt de iis etiam bene mereamur, à quibus damno vel contumelia prouocati ſumus. Quales igitur in principem eſſe voluit, quem in rerum humanarum faſtigio locauit ſuſpiciendum nobis,& omni honoris,obſequij,reuerentiæ genere colendum? Paulus ſimulátque Chriſtianæ militię nomen dedit,ſeditioſo ac ſanguinario ſpiritu in pacis & quietis ſtudium mutato,Agrippá,fœlicem, & Lisbium procoſſ. Romanos, quanquam impios & Chriſto rebelles, officij ratione veneratus eſt, vt doctrinam ſuam exemplo vitæ ſanciret.

Caput. 28.

HÆc tu non tantùm indigna ciue, ſed & execrabili ſimilitudine refutas. *Quemadmodum,ais,malum hominem magiſtratus eligit, qui ſit carnifex in pœnis noxiorum repetendis, nec tamē ei protinus ſcelerum omnium impunitatē tribuit,nec ſuperiorem eſſe vult,quā vt legibus interrogari poſſit:ita nec deus, qui malo, quod aiunt, nodo malum*

pag. 76.

cuneum adhibet , qui malis puniendis malum regem pag.73.
præficit, et flagitiorum omnium ac ſcelerum licentiã indulget, ſed inſtar aliorum mortalium legibus intra gyrũ rationis & doctrinæ contineri iubet. Cùm enim diſertè præceptum ſit de ſcelere, de ſceleratis è medio tollẽdis, ſine vlla exceptione gradus aut ordinis, qua tandem ratione magis cautum eſt regibus, quam cæteris? Eleganter iſta, vt cætera. Neq; enim nos impune regibus ſua flagitia eſſe volumus, verùm ab eo vindicanda dicimus, penes quem eius rei ius eſt: cæterum populo nihil eſſe iuris, quem mancipio nexúque ditioni ſuæ deuinctum & obligatum habeãt. Nec enim fas eſſe ducimus magiſtratum à priuato coërceri, & principem ſubditorum patêre ludibrio: eum tamen haud aliter numinis imperio teneri, quàm carnificẽ magiſtratus, à quo præfectus eſt executioni legum & iuris. Sed illũ à deo, hunc à ciuili magiſtratu longè diuerſá ratione conſtitutum eſſe non attendiſti, qui poteſtatem diuinitus ordinatam adeo flagitioſa comparatione traducis. Illum cum imperio Deus inſtituit: huic non modò iuriſdictionem, ſed ne notionem quidem cõfert magiſtratus. Ille non modò ſupplicia malis, ſed & bonis præmia decernit: hunc inuiſum & deteſtabilem refugiunt omnes, eius commercium, occurſum, conſpectum abhorrẽt,

qui non præmia modò, ſed ne ſupplicia quidem decernere poteſt, ſed tãtùm exequi decreta. Ille numinis perſonã agit in terris, hic infernalis furiæ. Ille ſolo deo minor eſt: hic omnibus hominibus ac etiã belluis inferior. Ille propter dignitatis excellentiam ciuitatis partem nõ facit: hic propter vilitatem, & indignam homine vitæ cõditionem.[1] Ecquanam igitur ſimilitudine conueniunt, vt inter ſe tam odioſè cõferrentur. *An quia pœna ſceleratorum ad regium munus pertinet?* pertinet quidẽ, ſed non executio pœnæ. *An quia regij muneris pars eſt carnificis functio?* falſum hoc & abſurdum; Eodẽ enim argumẽto cõſequerere, cacodæmonum functionẽ in torquẽdis iis, quos numinis ſententia relegauit ad inferos, cæleſtis partem eſſe iuriſdictionis & imperij. Quod nemo ſanæ mẽtis vnquam affirmarit. Regis munus, vt & legis, in imperando, vetãdo, permittẽdo poſitũ eſt: Carnificis in exequendo, quod nihil habet imperij, nec meri, nec mixti. Nullũ enim imperium ſine iuriſdictione cõſiſtere poteſt.[2] Si verò (quod nũnulli ſuſpicãtur) gladij poteſtate, id eſt, imperio mero præditus eſſet, non modò condẽnãdi rei, verùm & abſoluẽdi quoq; facultate valeret. Neutra valet. Sed ne latrunculator

1 Ariſtot. lib. 3. polit. cap. 9.

pag. 74.

2 L. 3. D. de iuriſd. om. iud. gloſſ. ad L. 1 D. de offic. eius cui mand. eſt iuriſd.

quidē (qui de vita iudicare poteſt, de re pecuniaria non poteſt[3]) imperium merum obtinet; Neque enim iure imperij quod habet, ſed mandato, iuſſúq; principis de latrocinio ſtatuit. At ille ne ſtatuit quidē, ſed exequitur dūtaxat. Aliud eſt enim exequi, aliud imperare, decernere, iubere. Nam exequimur imperata, decreta, iuſſa, ſententias, nō cum imperamus, non cum iubemus, ſed cùm facim⁹ quod pronūciatum eſt, cum rem iudicatam obimus. Quin & vulgaris loquendi cōſuetudo executionem vocat carnificis miniſteriū, qui mactato reo ſententiam opere cōpleuit. Eſt enim executio verbum nudi miniſterij, quod in facto conſiſtit, [4] Cùm igitur pœna ſceleratorum ſpectet ad regem, non itē executio pœnæ, perperam ac temerè, ne dicam ineptè, carnificis functionem regij muneris partem eſſe dixiſti. Sed profecto diſſimulare non potuiſti, quāto regū odio laborares, qui ſacroſanctā poteſtatem, & volūtate iudicioque numinis inſtitutam, tot calumnijs impetiſti. Sed à calumniis redeamus ad argutias. Quod ſi mali principes ordinantur à deo, eū inquis, neceſſe eſt humanæ malitiæ auctorē eſſe fateamur. ſed nec iſtud. Neque enim malitiæ, ſed imperii (quæ bona res eſt) deū auctorem agnoſcimus. Nā id vel ex Ariſtotele iu-

3 L. ſolemus D. de iudic.

4 *L.* executorem. *C.* de execu. rei iud.

pag. 73.

uenis audiſti, omnem poteſtatem in bonis rebus numerari.[5]

5 In topic.

NIHILO ſolidius eſt illud argumenti quod ſequitur.

Præfectis vrbium aut caſtrorum, prætoribus, conſulibus, atque adeo cæteris inferiorum ordinum magiſtratibus, nedum regibus, Paulus ſubditos eſſe iubet, qui cum legum pœnis haud eximantur, fruſtra Pauli ſententia nituntur, qui reges ſolutos legibus, & pœnarum metu liberos eſſe debere pronunciant. Neſcis verò magiſtratuum quoſdã eſſe gradus? Pudet me tuæ proteruiæ, quẽ nec ætas, nec eruditio, nec vſus vitę communis ignorare, ſinit ea, quæ te ſcire diſſimulas. Omnes homines ſublimioribus poteſtatibus vir ille ſanctiſſimus ſubeſſe iubet, non autem inferiore gradu conſtitutis. Nam vt cætera lumina diſcedunt ſoli: ſic vbi ſuperior magiſtratus adeſt, inferioris poteſtas euaneſcit. Vult igitur ille militem centurioni, centurionem tribuno, tribunum legato, legatum proconſuli, non proconſulem legato, non legatum tribuno, non centurioni tribunum, nõ centurionem militi parêre. Hos enim obedientiæ gradus intelligit, quos rerum natura patitur, vt maiori minor, nõ minori maior aſſurgat.[6] Cùm igitur populo pręſint magiſtratus, qui ſi cum rege contendantur, priuatorum, imo ſeruorum,

6 can. qui reſiſtit. 11. qu. 3.

rum,habeantur loco, populum regi, regem ſoli deo moré gerere neceſſe eſt. Ex quo fit, vt nec magiſtratui popul⁹,nec regi magiſtratus ſine ſacrilegio reſiſtere queat. Hoc enim Chriſtus,hoc apoſtoli,hoc apoſtolorum diſcipuli docuerunt,qui non ſolum diuinis,ſed & humanis legibus cautum aiunt, ne maiores à minoribus vel accuſari, vel iudicari queant.[7] Quantò minus armis oppugnari?

7 Clem. Rom. epiſt. 1. ad Iacob. frat. dom. Can. Petrus. & paſſim. 21. qu. 7.

Caput. 29.

NE vero Chryſoſtomum nobis obtrudas, tyranni duplicem acceptionem eſſe dicimus, vnam cum quis vel natura, vel ſuffragio, vel quauis alia legitima conditione rex, oblitus ſui degenerat in belluam, & cum incurabili morum ac naturæ malignitate dominatur: qui, vt verbis vtar tuis, ſtabilimentum auctoritatis ſuæ in ciuium infirmitate collocat: qui regnum non procurationem à deo creditam, ſed prædam ſibi oblatam putat: qui poteſtatem cælitus acceptam ad bonorum exitium, legum euerſioné, patriæ ruinã cõuertit, & quod dicitur naué perforat in qua ipſe nauiget: qui diuini humaníque iuris ludibrio ſuſpẽſas tenet omniũ vitæ rationes,

Nec curare deum credit mortalia quemquam.

Hanc tyrãni ſignificationem ab origine ſua deflexam & mutatam eſſe dicimus : alteram autem germanam & propriam, cum quis in libera ciuitate vel priuatus, vel abuſus imperio, quod populi ſuffragiis adept' eſt, inuitis legibus ſummam rerum ad ſe trahit, & cùm cæteris cõditionem par eſſe debeat, ex ciue per vim dominus euadit : Vel cum quis obnoxius regiæ dominationi, legitimis hęredibus vel oppreſſis, vel regali ſolio deturbatis, ambitione & auaritia furens, reclamante regni iure, proculcatis patriæ moribus, maiorum inſtitutis aduerſantibus ad ſummũ graſſatur in ciues imperium. Illum quanquã modis omnibus nefarium & impium, tamẽ quia dei iudicio conſtitutum, Paulus hominibus ſacroſanctum eſſe iubet, ac ſub eo viuendum ea lege, cuius ipſe meminiſti, vt qui honoris ei auctor fuit, eum pœnarum exactorem eſſe patiamur. Hoc autẽ alterum genus hominũ Chryſoſtomus ab apoſtolo negat poteſtatis nomine deſignari. Hos enim verè tyrannos eſſe dicimus, quorum ambitioni non ab vniuerſis modò, verumetiam à ſingulis, qui pari poteſtate ſunt, & imperio, reſiſti queat. Hi ſunt, quos Græcorum Romanorúmq; leges occidi iure pronunciarunt. Hi ſunt, quorum percuſſoribus veteres ingẽtia præmia decre-

uerunt. [1] Nec enim diuinæ voluntatis ordinatione, nec iureiurando, nec fide, nec obſequio his obſtricti ſumus, quorum exitio patriæ ſaluti conſulere debemus. Et tamen his tu, qui tam ſtoica frõte regibus inſultas, calculo tuo ſuffragaris, vbi dicis quaſdã eſſe tyrannidas populi liberis ſuffragiis comprobatas, quas ob adminiſtrationis moderationẽ regiis nominibus dignaris. Equidem liberis ſuffragiis comprobatas eſſe nego, quas meliore populi parte reluctãte, furioſi homines vi & armis adipiſcũtur. Semper enim potior eſt ratio prohibentis, [2] in iis pręſertim rebus, quarũ ciues omnes communione cẽſeri debent. Sed tu neminẽ eorum, qui per vim vel fraudem dominatum ſibi pepererũt, violari iubes, ſi modò ciuilis animi temperamẽtum in gubernando adhibuerint. Quod cũ iubes, parum meminiſſe videris eorum, quæ paulo prius attuleras, id genus hominũ perinde facere ac latrones, qui male parta cõmodè diuidendo, ex iniuria iuſtitię, & è rapina liberalitatis laudẽ quærunt. Quin & illud hiſtorici laudaueras, *Vi patriam regere quãquam & poßit, & delicta corrigas, tamẽ importunum eſt.* Nam & ij qui per vim, vel fraudẽ, oppreſſa libertate, ad imperia cõtendũt, ſibi, nõ populo, ſtudẽt. Pag. 53.
Neq; enim eò aſpirant, vt peſſum eunti rei-

[1] Plutarc. in Arat. & Timoleont. pag. 100.

[2] L. Sabinus. com. diuid. L. fiſtulam. de ſeruit. vrb. pred. L. in re communi. de reg. iu.

pub. parta dominatione proſpiciant, ſed vt pag. 190. ſecurius voluptatibus ſuis fruantur. *Et tamen hoc tyrannorum genus tolerandum eſſe dicis ſi abſq; publica pernicie tolli non poßit, velut quoſdam corporis morbos perferimus potius quam vitam in ancipitem dubiæ curationis aleam coniiciamus.* His addantur ea quæ pòſt extremo penè dialogi veſtibulo diſputantur, & quorſum euadas nemo non intelliget.

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρή, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν· τἆλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Obſcurè laudas iſtud Euripidis, vt ſpurij tui tyrannidem excuſes, qui ſi quemadmodum regnandi gratia ius violauit, ita pietatem in cæteris & iuſtitiam coluiſſet, ſtarent meliore loco res Scotiæ, quarũ nũc ſummã poteſtatẽ hoſtes obtinent: viuerẽt, valerent illuſtriſſimi principes, quorũ alios ille poſſeſſionibus euertit, alios perpetuo carcere detinuit, alios exilio, alios morte multauit. Mãſiſſent in officio proceres, quos ad defectionẽ ille, quos ad parricidium adegit. Egregiam patriæ nauarent operam heroës fortiſſimi, quibus ille primùm fidei prodẽdæ, deinde necis auctor fuit. Teſtes Hamiltones, teſtes Hontlæi, ac Gordonum gẽs vniuerſa, teſtes alij permulti, quorum exitio tyrannidem ille ſuam ſtabiliuit. Qui ſi tyranno ſuperſtites fuiſſent, nõ

ita nobis inſultarent externi prædones, nec impune res noſtras terra maríque diriperēt: nec huiuſmodi latrociniorū populares exuuiis noſtrorum mercatorum inflati in Angliæ ſanctiore conſilio triumpharent: nec iure gentium ſua repetentibus inſolenter & tyrannicè ius & æquum denegarent. Quid verò quod arces regni munitiſſimas æquauit ſolo, ne quoties vellet irrumpētibus in ſuæ tyrannidis auxilium hoſtibus aditus intercluderetur? Hunc tu tyrannorum eximis collegio, & legitimam principem tyrannidis inſimulas? At fortè tyrannum fuiſſe non negas, cæterum ob imperij moderationem, & ciuilis animi temperamentum in gubernando, in ordinem cogi nō debuiſſe. Cur igitur tam crebris conuitiis in Iulij Cæſaris manes inueheris? Cur in familiari cum diſcipulo contētione, vt audio, iure mactatū aſſeris? Quod cum facis, non aliis quam noſtris rationibus vti potes, qui regnum in inferiores, tyrannidem in pares obtineri: regi quantumuis malo parendum eſſe, tyranno quantumuis bono reſiſti poſſe contendimus. Hanc enim Chryſoſtomi ſententiam eſſe, qua ſola niteris ad oppugnandam regum auctoritatem euincunt Auguſtini verba contra Manichęos,

3 Can. quid culpa ur. 23. qu. 1.

non eſt poteſtas niſi à deo ſiue iubente, ſiue ſinente.
Ergo vir iuſtus ſi fortè ſub rege etiã ſacrilego militet,
rectè poteſt illo iubẽte bellare. Quemadmodum enim
reũ facit regẽ iniquitas imperandi: ita innocentẽ mi-
litẽ oſtẽdit ordo ſeruiendi. Nam & Iuliano,quã-
quã impio & idololatræ, Chriſtiani milites
4 Can.Iulianus. & can.imperatores. 11.qu.3. ſeruiebãt,[4] quod ei poteſtatẽ à deo traditam
agnoſcerent,eóq; veteres Chriſtiani nõ tan-
tum æqua,ſed & iniqua regũ imperia ferẽda
eſſe docuerũt.[5] Quod certè ſibi nunquã in a-
nimũ induxiſſent, niſi diuinitatis quidpiã in
5 Can.contra morẽ 100.diſt. ſũma illa poteſtate reſidere iudicaſſent. Nec
tãtùm Chriſtianorũ illa,ſed & philoſophorũ
6 L.1.de oper.nou.nunc. & iuriſconſultorum erat opinio, qui maiorũ
præcepta iuſta,vel iniuſta,negant eſſe contẽ-
nenda.[6] Regnũ enim diuina res eſt,vt aiebat
Ecphantes Pythagoricus: & reges diuinos,
Ioue genitos,à Ioue nutritos Homer⁹ & He-
ſiodus appellarunt. Cùm autẽ in Chriſtiano
rum libris nihil tã crebris ſermonibus vſur-
petur,quã id documẽti quo malorũ patiẽtia
præcipitur, aduerſus principes rebelliò qua
tãdẽ ratione ſuſtineri poteſt? Initio naſcẽtis
eccleſiæ variis paganorũ hominũ calumniis
agitabãtur Chriſtiani, quod parũ audientes
magiſtratuũ imperio,quod refractarij, quod
contumaces,quod in ipſos etiam imperato-
res hoſtiliter eſſent animati. Quib⁹ reſpõdit

Tertullianus, [7] *Chriſtianum nullius hoſtem eſſe, nedum imperatoris: quem ſciens à deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt vt ipſum diligat, & reueatur, & honoret, & ſaluum velit cum toto imperio. Colimus ergo, inquit, imperatorem ſic quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à deo ſecundum, & quidquid eſt à deo conſecutum. Et quoniam Romanæ diuturnitati fauemus, per ſalutem Cæſarum deieramus. Nos enim iudicium dei ſuſpicimus in imperatoribus, qui gentibus illos præfecit: id in eis ſcimus eſſe quod deus voluit, & pro magno adiuramento habemus.* Quæro nunc an cùm hæc ille ſcriberet, Chriſtiani regnarēt? ſi pios tantùm principes hac oratione complectatur? ſi non per ethnicorum, ne dicā tyrannorū, ſalutē iurare, magnæ religionis erat? Erat ſanè. Nam vel ex mali regis interitu magnum reipub. vulnus infligitur. Cū principibus enim concutitur imperium, concuſſis cæteris eius mēbris, vt ait ille.[8] Nec iniuria dixit Seneca, [9] de principis amiſſione, *hic caſus Romanæ pacis exitium erit: hic tanti fortunam populi in ruinas aget. Tandiu aberit ab iſto periculo hic populus, quandiu ſciet ferre frænos quos ſi quando abruperit, vel aliquo caſu diſcuſſos reponi ſibi paſſus nō erit, hæc vnitas, & hic maximi imperii contextus in partes multas diſſiliet, idemque huic vrbi dominandi finis erit, qui parendi fuerit*. Harum rerum do-

7. Ad Scapul. & in apolog.

8. Tertull. in apolog.

9. lib. 1. de clemi.

cumento ſunt illa Tiſſaphernis apud Xenophontem [10] & barbarorum conſilia de tollēdis Græcorum prætoribus, quod ea re cæteram multitudinem facili negotio profligatū iri iudicarent. Nec enim defuturos quibus imperaretur, quādiu eſſent qui imperarent. Sed magis vrget illud Perſarum quinque dierum iuſtitium, quod rege mortuo dabatur, vt ex inſolentia populari diſcerent homines quantę curæ mortalibus regum ſalus eſſe debeat. Quod enim de apibus ſcripſit Virgilius Maro, [11] id in ciuili ſocietate multo euidentius apparet,

10. lib. 2. & 3. ἀναβασ.

11. lib. 4. georg.

Rege incolumi mens omnibus vna,
Amiſſo rupêre fidem, conſtructáque mella
Diripuere ipſæ, & crates ſoluere fauorum.

Non igitur abſque ratione maxima principum ſalutē ita caram habuêre veteres Chriſtiani, vt per eam religioſiſſima iuriſiurandi formula conciperetur. Cuius rei præter Tertullianum, & Chriſtianorum imperatorum ſanctiones, Vegetium etiam teſtē habemus, [12] qui militiæ ſacramenta *per maieſtatem imperatoris concipi dicit, quæ ſecundum deum generi humano diligenda eſt, & colenda. Nam imperatori, cum auguſti nomen accepit, tanquam præſenti & corporali deo fidelis eſt præſtanda deuotio, & impendendus peruigil famulatus, deo enim vel*

12. lib. 1. de re milit. cap. 5.

priuatus, vel militans ſeruit, cùm fideliter eum diligit qui deo regnat auctore.

Cap. 30.

TV verò vt maligna tot teſtimoniorum interpretatione malis principibus iſtud officii deneges, & obfirmato animo multitudini rebellionis auctor exiſtas, à Chriſtianis ad Gnoſticos deficis, qui non omnino perfectéque traditam à Chriſto & apoſtolis veritatẽ, ſed perſonarum & temporum conditioni accommodatam aſſeruerunt.[1] Primùm enim, vt Pauli ſententiam enerues, qui poteſtatibus obediendum ait à deo datis, *fingis contentionẽ ei fuiſſe cum hominibus omnẽ magiſtratuum imperium detrectantibus, qui libertatem Chriſtianam abſurdè interpretantes, affirmabant indignum eſſe, vt qui a dei filio eſſent emancipati, à dei ſpiritu regerentur, ſub vnius hominis poteſtate eſſent, quorum vt refelleret errorem, oſtendiſſe magiſtratum rem eſſe non modò bonam, ſed etiam ſacram. Cæterùm illa ſcripſiſſe in ipſa naſcentis eccleſiæ infantia cùm Chriſtiani nec numero, nec opibus, nec auctoritate valerent: ac proinde eorum duntaxat ad quos tum ſcribebat, non autem vniuerſorum ciuium rationem habuiſſe.* Quibus tandem iſta coniecturis aſſecutus es? Equidem Pauli tẽporibus

1. Irene. lib. 3. cap. 4.

pag. 72.

pag. 76. & deinceps.

haud ignoro Iudęos, & Chriſtianorum etiã nonnullos in ea hæreſi fuiſſe, vt externæ gentis aut religionis omnino recuſanda putarent imperia, quòd diſertè cautum à propheta legiſſent, [a] ne alterius gentis hominem regno præficerent, ſed numero fratrum ſuorum regem eligerent. Eò Paulus an reſpexerit neſcio, qui parendum omnibus æque magiſtratibus, qui omnem poteſtatem numinis ordinationem eſſe dicit: ſed profectò maiorẽ veri ſimilitudinem habet, quam quod tu pro noto carmine nobis obtrudis. Nuſquã enim legeris, opinor, ea Chriſtianorum aliquẽ vixiſſe lege, vt omnium æquè magiſtratuũ imperia refugeret. Quod verò de tempore comminiſceris, quo Paulus hunc Chriſtianis legẽ edidit, abſurdum eſt, & ineptum, ne dicam ea perſona dignum, quam tu tot annis in euangelio reſtituẽdo tibi vindicaſti. Ais enim eo tempore Chriſtianis, quia pauperculi, quia nõ ciues, ſed inquilini, ac ij magna parte libertinę conditionis, opifices, aut ſerui magno labore tenuem victum quærebant, ſub principum & magiſtratuum, & ſi malorum, obediẽtia, & ſub imperij qualiſcumque vmbra fuiſſe deliteſcendum. Eóque monuiſſe Paulum vt tempori ſeruirent, memores ſuæ conditionis: ne prodirẽt è latebris, nedum guber-

Contrariũ vide apud Cyprianũ epiſt. 8. ad ſucceſſum epiſcopũ deſcripto Valerium. Apud Tertul. ad Scapul. cap. 4 & contra Iudæos. cap. 7.

nacula rerum tenentibus negotium faceſcerent. Hodie verò Paulus viuere cùm non modò populus,ſed principes etiam Chriſtianum nomen profiteantur,cùm Chriſtiani viribus, auctoritate, numero tyrannorum potentia pares euaſerint, iuberet promiſcuam plebis turbam,ac vulgi fæcem,de reip. ſtatu, de magiſtratuum officiis,de imperii maieſtate in regum necem inquirere. Nec enim iam ad dei gloriam propagandam,ad comparanda vitę neceſſaria (quamquam hoc quoque ſæculo tenuis victus magno labore quęritur) opus eſſe pace publica, cuius cuſtodes malos etiam principes agnoſcis. Egregium profecto commentum, ſi quem alium quam Buchananum auctorem inueniſſet. Quid vero? Ecquem regum omnium miniſteria veſtra cùm rem vexare Chriſtianam, cùm principum omnium rationes turbare cæperunt, ca cangelii ſui fautorem habuerunt? Non erant ea multitudine, non auctoritate, non opibus, vt omnibus Europę principibus inſultare poſſent. Igitur fateare neceſſe eſt, ſtultos & inſanos fuiſſe, qui Pauli ſententiam initio propugnãdæ libertatis ſuæ neglexerint. Nũc verò ſapere, qui cùm procerũ nonnullos, ac magnorum magiſtratuum nefariis ſacris excãtarint, procliuem ad latrocinia turbã con-

ſiliorum fautricem adepti, reges oppugnant, olim (ſiquidem vera Gnoſtici loquuntur, quorum tu Paulo nugas obtendis) Dei iudicio rerum potitos, quoad popularium colebantur obſequio: nunc Dei iudicio ſpoliandos imperio, quia plærique furioſis concionibus veſtris ab officio receſſerunt. Hæc per Deum immortalem vtrum eſſe tibi conſilia ſiccorum, an vinolentorum ſomnia: vtrum cogitata ſapientum, an optata furioſorum videntur? Itane diuinas leges, vt humanas Ariſtoteles, menſurarum ſimiles eſſe putas? Itane locorum, itáne temporum conditione mutabiles? Itane fato mortalium rerum obnoxias? Quanto verius ille, qui quanquam huiuſmodi myſteriorum ignarus erat, enthouſiaſmo tamen, vt videtur, diuinarum legum firmitatem & conſtantiam expreſſit [3]? *Non erit, inquit, alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſt hac: ſed & omnes gentes, & omni tempore, vna lex & ſempiterna & immortalis continebit, vnúſque erit communis quaſi magiſter & imperator omnium Deus. Ille legis huius inuentor, diſceptator, lator, cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur, atque hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cætera ſupplicia, quæ putantur, effugerit.* Hoc genus legum Chriſtus & apoſtoli tulerunt, non quæ vetu-

3. Cicer. lib. 3. de repub.

ſtate temporum obſoleſcerent: non quæ huic, aut illi perſonæ, non quæ huic aut illi populo conſentaneæ forent: non quæ nunc tyrannis audientem eſſe populum, poſt excuſſo iugo inſultare iuberent: non quę parietum, vel ſtillicidiorum iura complecterentur, ſed quæ ex naturæ fontibus hauſtæ perpetuò genus hominum vniuerſum obligarent. Ex quibus nec abrogari quidquam, nec derogari poteſt: iis autem abrogari, aut imperio ſolui nefas. Sed hac re tecum redeamus in gratiam: huic, illi populo, his illis temporibus accommodatas eſſe fateamur, quid tum poſtea? Paulus vtendum foro præcepit? Laruatam hypocriſin ſub perſona religionis latêre voluit? poteſtatibus obediendum edixit, quia reſiſti non poſſet? Chriſtianos viribus auctos

Ad arma ceſſantes, ad arma
Concitat, imperiúmque frangit?

Tibi quidem ita videtur. Hanc enim Talmudicæ nugæ, hanc Alcorani deliria probant legem, quæ Chriſtum virtute miraculorum, Mahumedem vi armorum valuiſſe commemorant. Chriſtianorum arma ſunt lachrymę, 4 qui patientia non ferro vincere: qui puris manibus & innoxiis perire potius, quàm gladio ferire iubētur. Nihil hic attinet

4. Can. conuenior. 23. qu. 8. can. porro. 16. qu. 3.

oracula citare, quæ fidem huic ſermoni faciant. Sunt enim vobis etiam vulgaria, ſi ſequi velletis. Sed hac de re Tertullianum Chriſti ſæculo proximum, ne dicam apoſtolorum æqualem, aduerſus paganorum calumnias diſſerentem audiamus. [5] *Si malum malo diſpungi penes nos liceret, vel vna nox pauculis faculis largitatem vltionis poſſet operari. Sed abſit, vt aut igne humano vindicetur diuina ſecta, aut doleat pati in quo probatur. Sin autem hoſtes extraneos, non tantùm vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Externi ſumus, & veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatiū, ſenatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? Si non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere, potuimus & inermes, nec rebelles, ſed tantum modo diſcordes, ſolius diuortij inuidia aduerſus vos dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſinum abrupiſſemus à vobis, ſuffudiſſet vtique dominationem veſtram tot qualiumcumque amiſsio ciuium, imo etiam & ipſa deſtitutione puniiſſet. Proculdubio expauiſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentiū rerum & ſtuporem quendam: quaſi mortuæ vrbis reliquias quæſiſſetis, quibus in ea imperaretis.* Non

5 In apolog. cap. 37.

ex his aliquando ſenties quam Chriſtianis calumniam ſtruas? quos initio naſcentis eccleſię vim continuiſſe fabularis, quod ſolitudine, quod inopia, quod fortunæ malignitate parêre cogerentur iis, quorum potentiæ nō potuiſſent eſſe pares, ſi rebellione religionem, ſi pietatem armis aſſerere voluiſſent. Vides enim ea multitudine ſeptos, vt quiduis in impios principes non audêre modò, verumetiā patrare poſſent, cruciatuū genus omne modeſtia, lenitate, patientia, non defectione, non iniuria, non vindictæ cupiditate ſuperare. Quòd ſi quem iſta ſcrupulum in animo relinquunt, audi Clementem Petri diſcipulum, qui in rixa per Caïpham pontificem, eiúſq; ſatellites hieroſolymæ cōcitata, Chriſtianos & ſi numero plures, virtute potiores, propter numinis reuerentiam occidi maluiſſe refert, quam occidere. Atque ita profecto res habet. Quiſquis enim ex animo Chriſtum profitetur, is vt ait ille, [7]

6 lib. 1. recogn. ad Iacob. frat. dom.

7 Iuuenal. ſat. 3.

Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat:

non rebellionis & diſcordiæ, ſed pacis genio ducitur: non infert, nec vi propulſat, ſed abiectione ſui patitur iniuriam: maleficium beneficio reponit: nec amicos modò, verùm & hoſtes amore beneuolentiáque demeretur. Quæ certè propria Chriſtianorum laus eſt.

Amicos enim, vt ait ille, diligere omnium eſt, inimicos, Chriſtianorum duntaxat. [8] Chriſtianus igitur nullius hoſtis eſt, nedum principis: quem cum religio legeſque noſtræ verbo violari non ſinant,[9] quanto minus armis oppugnari patientur? Rectéq; Seneca, rex, inquit,[10] ſi nocentem punit, cedendum eſt iuſtitiæ: ſi innocentem, cedendum eſt fortunæ.

8 Tertull. in apolog.

9 Exod. 22. act. 23. Can. apoſt. 84. L. vn. c. ſi quis imp. maled.

10 lib. 2. de ira. cap. 30. pag. 76.

Cap. 31.

QVod ſequitur argumenti iam antè nobis refutatum eſſe puto. Diligenter animaduerti iubes, quantū Paulus tribuerit epiſcopis, quorum defectionem miris & veris laudibus afficit, vt qui quodammodo regibus compoſiti, ex aduerſo reſpondeant. Neque tamen eos dignitas ordinis & amplitudo ſcelerum pœnis eximit. *Nam nec ipſe Papa, qui epiſcoporum epiſcopus habetur: qui ita ſuper regum omnium faſtigium aſſurgit, vt Deus quiſpiam inter homines haberi velit, à ſuis canoniſtis, genere hominum ei addictiſſimo, legum pœnis eripitur.* His quanquam abundè ſatisfactum eſt ſuperiore diſputatione, tamen quid deſideres, aio nec epiſcopos, nec Romanum pontificē, cuius odioſè poteſtatem exaggeras, inferiorum iudicia ſubire. Hoc enim receptum eſſe diuinis humaniſque legibus axioma, ne

maiores

maiores à minoribus accuſentur. [1] Nam & antiquo Romanorum inſtituto maius imperium à minore rogari ius non erat. Eóque néque conſules aut prætores cenſoribus, neque cenſores conſulibus aut prętoribus, turbabant, aut retinebant auſpicia. Maiores magiſtratus à minoribus & comitatũ poterant, & concionem auocare: minores à maioribus non poterant, vt ex M. Meſſalæ & C. Tuditani commentariis ab Aulo Gellio proditum accepimus. [2] Quanto magis Roma Chriſto conciliata prouidendum fuit, ne parentem liberi, patronum liberti, dominum ſerui, magiſtratum populares, alii alios, quos virtute, officio, dignitate reuereri debent, in capitis aut famæ iudiciũ vocent? Quod cum faciunt, eos Chamo diris damnato ſacra comparat hiſtoria, [3] qui patris verenda non operuit, ſed irridenda monſtrauit. Valens, Gratianus, & Valentianus auggg. vbi tale quid inciderit, vetant iudiciorum euentum expectari, nihil quæri, nihil diſcuti, ſed cum ipſis delationum libellis, cum omni ſcripturarum & meditati criminis apparatu, nefariarum accuſationum auctores cremari iubent. [4] Arcadius & Honorius etiam familiarium delatores vltore gladio feriri voluerunt. [5] Cui fas non eſt crimen intendere, qua

1 Can. clericus. & can. maiorum, 2. qu. 7.

2 lib. 13. cap. 13. & 14.

3 Can. ſententia, 2. qu. 7.

4 L. 12. & paſſ. Cod. Theodoſ. ne præt. crim. maieſt. dom. vel patr. &c.

5 L. ſi quis. C. de his, qui accuſ. non poſſ.

ratione criminis damnare poterit? Nec me
fugiunt exempla, quę hoc genus teſtimoniis
oppoſuiſſes, ſi tibi fortè veniſſent in mẽtem.
Aſina Balaamo non aduerſatur modo, ve-
rumetiam tyrannidis eum accuſat.[6] Per Aſi-
6 nume. 22. nam populares intelligũtur, magiſtratus Ba-
23. & 24. laami perſona ſignificantur. Dauidem obno
xius imperio vates flagitia ſcelere cumulantẽ
graui iudicio non arguit modò, verumetiam
7 2. Reg. 12. damnauit.[7] Rectè quidem iſta, niſi nobiſcum
facerent. Aſinam progredi vetabat angelus,
qui ad peccãdum eunti diſtricto gladio im-
minebat. Pergere iubebat herus, pergenti mi
nabatur angelus. Egregium hercle ciuilis vi-
tæ ſymbolum. Monemur enim exemplo ſin-
gulari, vbi ciuiliũ magiſtratuum imperia cœ-
leſtibus obluctantur, ſuperiori magiſtratui
parendũ, id eſt, deo, à quo poteſtas omnis &
imperium. Magis enim deo quam hominib⁹
obediẽdum, cui qui ſeruiunt, regnant. Ægy-
8 Exod. 1. ptii regis eludunt imperiũ obſtetrices, à nu-
mine mercedem ferunt.[8] Iſabelis impiæ mã-
9 1. Reg. 18. datũ aſpernatur Abdias, laudatur.[9] Daniel
Aſſyrii regis edicto reclamat, numini grata
10 Daniel. 5. religio eſt.[10] Si profana miſcere fas eſt, om-
nium gentium prædicatione laudatur Papi-
nianus iuriſconſultus, qui Caracallæ Cæſaris
immanitati patrocinium denegauit. Viuet

omnium ſæculorum memoria Iohannis Fiſcheri Roffenſis epiſcopi, & Thomæ Mori Angli virtus atque conſtantia, qui extrema pati, quam flagitio principis aſſentiri maluerunt. Licuit igitur Aſinæ in humanā vocem erumpenti cum domino ſuo expoſtulare, quid feci? quid cōmerui? prius diſplicui, quā ad malum cogerer? Non vides qui cœptum iter moretur? Offenderis ſi tuo meóq; domino de via diſçedo? ſi morem illi potius quam tibi gero? Neque tamen miniſteriorum veſtrorum more, hero Aſina hoſtiliter inſultat, ſed impium modò deprecatur imperiū quod ſuperioris domini iuriſdictione cohibetur. Sed aliud eſt in iis quę vel diuino, vel naturæ iure prohibentur, abſtinere à maleficio & ſcelere, & principis iuſſa defugere: aliud armata rebellione vitam principis & fortunas appetere. Illud Aſinæ ſimbolo permiſſum, hoc popularibus interdictū eſſe videm'. Eſt enim princeps communis omniū parens, ac patriæ vice colendus. Ecquod verò tantum ſcelus eſt, quod parricidio ſit vindicandum? Equidem ex ethnicorū lectione didici,[11] ne malo quidem patriſatis vnquam magnam gratiā referri poſſe. Sed ad rem. Proximum exemplum erat Dauidis, quod nihilo magis inſtituto, quam illud Balaami reſpondet.

[11] Fab. Quintil. in declā

Dauidem monuit vates, vt pœnitudine crimen expiaret: non tulit capitalem in eum vel cædis, vel adulterij ſententiam. Ea re ſuas obiuit ille partes, qua rege ſuperior erat: qua inferior, regium ſibi munus haud arrogauit. Nam quod ait ille,[12] *regum eſt corporalem irrogare pœnam: ſacerdotum ſpiritualem inferre vindictam.* Hac auctoritate fret⁹ Ambroſius Theodoſium, Arcadiũ Innocentius ingreſſu templi prohibuit. Neuter condemnationis ſententiam pronunciauit: neuter, quod iure ſuo facere potuiſſet, orco principẽ adiudicauit. Hac enim parte regibus ſuperiores ſunt epiſcopi, vt eos errorũ admonere, quorũ ſupremi ſunt iudices, vt arguere & poſſint, & debeant, ac ſi res ita poſtulat, etiam ſacris interdicere. Pluſculum exhibet negotij Daniel qui priuatus iudices falſi teſtimonij dãnauit. Huius ſi meminiſſes, nihil triũpho defuiſſet. Vrgent iſta nos, pungunt, ſtimulant, rationẽ vix ſatis expediri queunt. Veſtræ nihil nos mouent argutię: nihil moramur frigidiuſcula ſophiſmata. Sed vt ex hac difficultate noſmet explicemus, Daniel Chriſti domini typ⁹ erat: ſupremi iudicis perſonam referebat, qui Suſannam adulterii ream iudicio peruerſorum hominum eriperet, id eſt, eccleſiam à ſcribis, Phariſæis, & id genus profanæ do-

12 Leo quartus. Can. nos ſi. 2. quæ. 7.

ctrinæ ſycophantis, falſa criminatione circumuentam & oppreſſam in priſtinũ ſplendorẽ, decus & auctoritatem vindicaret. Nos Danielem imitari certè nec poſſumus, nec debemus. Quam enim multa deſignãtur in antiquo fœdere nobis in exemplum humanarũ actionũ minimè trahenda?[13] Samuel obeſum regem, & adipe tumentẽ in fruſta conſcidit. [14] Phinees cum Madianitide coëuntem in oculis omniũ interemit.[15] Illis hæc laudi, hęc iuſtitiæ fuerunt imputata, quæ noſtris hodie ſacerdotibus in perniciem & dedecus officij ſui verterentur. Non licet enim iis iudicium ſanguinis agitare, quibus tractanda ſunt domini ſacramẽta, [16] quanto minus occidere? Nihil, inquies, huiuſmodi in nouo fœdere, nihil in Chriſti ſectatorib⁹ horum ſimile reperies. Non & ipſe nequiſſimi ſerui iudicio ſe ſubmiſit? Si male locut⁹ ſum, inquit,[17] teſtimonium perhibe de malo. Et Petrus cum ad Corneliũ diuertiſſet, à Chriſtianis in Iudęa, quanquam inferioris ordinis, obiurgari non dedignat⁹ eſt.[18] His ſatisfecit põtifex.[19] *Aliud eſſe quod de rigore cogimur ſeruare diſciplinæ, aliud quod admittitur ex perfectionis cõſideratione. Chriſtus Iudæos ad ſe arguendum admiſit perfectione humilitatis, non ſeueritate iuris.* Potuiſſet & Petrus inferiorum querelas auerſari, ſi ius offi-

13 Can. ſi quis per vetus, 22. qu. 2. can. cum in lege, 23. qu. 4. can. ſi audieris. can. de occidẽdis, 23. qu. 5.
14 1. Reg. 15.
15 Num. 25.
16 Can. his a quibus 13. qu. 8.
17 Iohan. 18.
18 Act. 11.
19 Can. teſtes, 1. qu. 7.

cij, ſi perſonæ quam ſuſtinebat intueare dignitatem: ſed maluit ſanctiſſimus antiſtes aliquid de iure ſuo concedere, & humiliter animóq; demiſſo facti rationem reddere, id ſe, quod arguebant, diuinæ virtutis auctoritate feciſſe, qua pagani, non ſecus ac Iudæi, diuini ſpiritus gratiam acceperant. Humanæ leges vno ad hæc verbo reſpõdiſſent, volenti nullam aut conſentienti fraudem aut iniuriam fieri.[20] *Receptum eſt enim, eóq; iure vtimur, vt ſi quis maior, vel æqualis ſubiiciat ſe iuriſdictioni alterius, poſſit ei, & aduerſus eũ ius dici.*[21] Qua vel ſola ratione quidquid argumenti ſupereſt, euertitur. De prædiolo enim, de luminibus, de ſtillicidiis aduerſus regem ipſius nutu ac ſponte iudiciũ datur, quod certè dari non poſſet inuito. Parricidij, veneficij, perduellionis etiam in volentem à popularibus ſententia ferri non poteſt. Quod tibi non abſurdum modò, ſed etiam iniquum eſſe videtur, *in minoribus rebus ſeueritatem iuris obſeruari, in maximis flagitiis ſummã licentiam & impunitatem permitti; eóque leges aranearum telis eſſe perſimiles, quæ muſcas detineant, animalia maiora trãſmittant.* At verò ſi rem æquius æſtimare velles, quid hac in re vel abſurdi, vel iniqui repereris? Regis humanitati tribuendũ eſt, quòd in pecuniariis cauſis cõtra ſe ius dici patiatur

20 L. cum donationes, c. de tranſact. L. 1. ver. filii. di de iniur.

21 L. eſt recep. D. de iuris. om. iud. L. ſi quis, in conſcr C. de pact.

pag. 90.

imò velit, iubeat, non paſſurus ſi libêret: iniquũ igitur videri debet, quod in capitali negotio ſalutem famamque ſuã imperitæ multitudinis arbitratu periclitari nõ ſinat? quod coniuratorum ludibrio maieſtatem imperij nõ exponat? quod peſſimorum libidine ſibi non afferat manus, aut laqueo gulam ſtrangulet? Siquidem perinde res habet, regẽ ſui parricidam eſſe, & ſponte ſua capitis cauſam dicere, ſponte ſua condemnari. Se enim ipſe condemnat, ſe morti adiudicat, cùm inſtituti abs ſe iudicis imperium ſubit. Quod enim iudex pronunciat, id volente, id iubente rege pronũciat, à quo iudicandi poteſtatem accepit. Nec tam iudex regi, quã rex ſibi ius dicit, etiam cum cauſa cadit. Quod enim vetant iura, [22] ne quis in propria cauſa cognoſcat, ne quis ſibi ius dicat, hîc certè locum nõ habet. Regem enim neceſſario ſuę cauſæ diſceptatorẽ eſſe oportet. Quod vel ex eo poteſt intelligi, quod earum curiarum placitis, quibus in iure dicundo rex ſuas partes delegauit, regis, nõ curiæ nomẽ anteponitur: idque nõ in priuatorum modò cauſis, verumetiam in regiis. Rex enim hîc & iudicis & rei perſonã agit. Eius de re agitur, eius auctoritate decernitur. Quid verò, quod ſæpiſſimè, cũ lubet, ipſe nõ interpoſito, nõ ſubrogato iudi

22 L. qui iuriſdictioni D. de iuriſ. om. iud. L. 1. C. ne quis in ſua cauſ. ius dic.

ce, non mutata, nō depoſita perſona de re ſua pronunciat? Nec id nouum videri debet. Nā & Antoninus imperatorum optimus ſibi ius reddidit, [23] & antè Tiberius de ſerui ſui inſtitutione cognouit. Sed & in legū libris infinita ſunt harum rerum exēpla. Laudant hiſtoriæ M. Antoninum, cuius modo meminimus, qui in rebus compendij iudicans fiſco nunquam fauit. Laudant & Pertinacem, qui nullius hæreditatē ſibi adeundam eſſe iudicauit, quæ lite perplexa eſſet delata. [24] Sed quid hîc miraculi? In feudo ligio (liceat ſcholę verbis vti) quia principis loco domin⁹ habetur, eius vnius iuriſdictionē eſſe cōſtat, [25] ſolus iuris dicundi facultate præditus eſt, cū in cæteris, quæ diuerſo iure ſunt, beneficiis, iudicia per pares curiæ, quos vocāt, exerceātur. [26] Quāto magis id regi concedendū eſt? Si ius ſibi dicit homologus, id eſt, beneficij ligij dominus, quē corrupto vocabulo hominem ligium interpretes appellant (quod primus animaduertit perſpicaciſſimè Cuiacius, [27] maximum huius ętatis, & antiqui iuris ornamētum) ſi, inquam, patronus homologus ſibi ius dicit, [28] quia nemini, prærterquā ſoli principi, fidem clientelæ iure deuinxit, quia

23 L. proximè. D. de his quę in teſta. del. L. & hoc tiberius. D. de hæred. inſtit. Bartol. in. L. ſi quis alius. §. belliſſime d. quod vi aut clam. Angel. ad L 1. C. ne quis in ſu. cauſ. &c. Panor. & felin. in. cap cum veniſſent. de iudic.

24 Iul Capitol. in Anton. & Pertinace.

25 cap. cæterum. de iu dic. & ibi Bald. 5. col.

26 Tit. de cōtro feud. per. par. cur. teim lib. 2. feu. 27 tit. 93. lib. 4. feud. 28 Tit. de feud. li. 4. Feud. & conſtit fider. de feud. non alien. Clemēt. paſtoralis. § rurſus. de ſent. & re iuđ. gloſſ. in verb homo quoque ligius.

ſoli ſe ſuáq; ſacramēto deuouit, quia, vt vulgus interpretū ait, ſolus inſtituere, ſolus deſtituere poteſt, quanto magis principem ſuæ cauſæ cognitorem admittemus? qui nemini, præterquam deo ſoli, ſe ſuáque ſacrauit, qui ſolus inſtituere magiſtratus in ſuo regno, ſolus exauctorare poteſt. Duces enim, marchiones, comites, vrbium arciúmq; præfecti ab eo quidquid habēt iuris acceperūt. Cùm enim initio penes vnum regē eſſent omnia, cùm vnus togæ rebus militiæque præeſſet, quia ſe nō poſſe negotiorum multitudini ſupereſſe cognoſcebat, alios exercituū duces, alios finium regundorum, alios prouinciarū iudices inſtituit, vt animum tot curis imparem exoneraret. Ac ij quidē non modò belli, ſed & pacis etiā negotia procurabant, nec tātùm hoſtium vim & externos impetus armorum legibus arcebant, ſed & ciuilibus inſtitutis domeſtica diſſidia, lites & iurgia dirimebāt. Id indicat comitis vocabulum, quod olim ordinarium iudicem ſignificabat, vt in Ripuariorū legibus, [29] & feudorū libris apparet. [30] Eū antiquo verbo Germani grauionem, vel graphionem appellāt, quo nomine iudicem denotari teſtis eſt Paulus Diaconus [31] in Lōgobardorum hiſtoria. Hinc etiā hodie trita Germanis Lātzgrauiorum & Burg-

29 Cap. 55. & 90.

30 lib. 1. feud. tit. 26. & conſtit. frider. de pac. ten.

31 Lib. 5.

grauiorum vocabula, & alia plæraque hisſi-
32 milia Germanicarum rerum ſcriptoribus 32
vſitata. Quoniā igitur ex comitatu ſuo virū
aliquem rex iuſtitiæ opinione & animi ma-
gnitudine præſtantem alicui prouinciæ re-
gendæ à latere ſuo ablegabat, conſuetudine
loquēdi factum eſt, vt illius prouinciæ iudex
appellatione comitis efferretur. Nec tātùm
prouinciis adminiſtrandis, ſed & aulæ fami-
liæque regiæ moderandæ nobiliſſimi quiq;
& optimi præficiebantur magiſtratus atque
iudices. Hinc enim ſtabuli comitum appel-
latio, quos equorum regiorū magiſtros de-
prauatione vocabuli poſterior ætas conne-
ſtabulos appellauit. Sed cum hi magiſtratus
initio temporarij eſſent, ac principum nutu
reuocarentur, progreſſu temporis effectū eſt
vt diuturni, ſtabiles ac perpetui euaderent, &
ea conditione familijs hærerent, vt quę opti
mo iure in cuiuſque bonis atque patrimonio
cenſerentur. Nam id tandem aliquando ſiue
patientia regū, ſiue benignitate perfecerunt,
quorum vt parte aliqua beneficium agnoſ-
cant hæredibus in demortuorū iura ſubeun-
tibus iuratur in fidē & obſequium principis:
cenſus, ἀνακαμψεως, εἰσδεκτικῶν aut προτιμή-
σεως nomine, neſcio quid, fiſco perſoluitur.
Atq; illo quidē iure ſub Carolo magno, ſub

Eginhar.
Iornand.
Annon.

Galliæ regibus, & imperatoribus occidentis actum eſſe hiſtoriarũ monimenta legenti facillimum fuerit animaduertere. Nec ab his inſtitutis abhorruere noſtrates, quibus nihil poſſeſſionum, nihil agrorum eſt, quod cẽſui, quod tributo non ſit obnoxium, quod regiæ ditionis ſit immune. Plebei dominis feudalibus, quos barones & Lordios vocant, certo iure fidéque tenẽtur obligati: Barones & Lordij principis ſũt homologi. Nam id oſtẽdũt ea iura, quas releuias, quas Vvardias Scoti proceres appellant, tibi quam mihi notiora. Quæ certiſſimo ſunt argumento prædiorum omnium dominium directũ ad reges pertinere. Si quod certi⁹ inueniri poteſt, illud fore cenſeo, quod cùm vtile dominium inferioris prædij vel ex delicti cauſa fiſco adiudicatur, vel pecunia redimitur, & patrimonio principis accreſcit, ſuperioris prædij domino fidẽ & obſequiũ clientelari iure nõ obſtringit, 33 nec illius vllum ea in re beneficiũ agnoſcit. Redit enim eò res vnde manauerat redditur auctori beneficium, & facillimo negotio (quod cęteris alioqui rebus vſu euenit) prædij ius omne naturæ priſtinæ reſtituitur. Omnes enim clientelæ, omnia prædiorũ beneficia regno inhęrẽt àquo profecta ſũt. Rex patronorũ omnium ſupremus eſt patronus:

33 Specul. in tit. de feu. parag. quoniam. de homa. & fidel. qu. 24. facit. can. quæris. de conſecrat. diſt. 41.

34. eóque clientis regii cliens regius etiam cliẽs
conſtit. frider. §. illud quoque de prohib. feud. alien. eſt:[34] vt non iniuria poſt Vegetium Baldus
doctiſſimus Romani iuris interpres, regem in
ſuo regno corporalem deum appellarit,[35]
quod eius nutu moueantur omnia, eius nutu
quieſcant: quod eius omnia ſint mãcipio,[36]
35. In. D. §. illud quoque. ſingulorum vſu: quod eius omnium ſit pro-
prietas, ſingulorum fructus. Sed ne ex hoc te
laqueo expedias, ne tergiuerſis, obſignatis te
36. panor. in cap. veniens. ext. de accuſ. cum tabulis agam. Quid enim ad eam regni
legem reſpondeas[37] ? *Nemo prædium, fundum,*
agrum, magiſtratum alia quam regia auctoritate
37. Hect. Boeth. lib. 12. *poßideto*. At ne conquerare fraudem hac lege
vel procerum ordini, vel populo fieri, ſic ha-
beto. Quidquid eſt in Scotia terrarum, quid-
38. Hect. Boeth. lib. 1. 7. 10. 11. Iohan. Leſlæus in hiſt. Scot. & dauid. chambre és ſingularitez d'Eſcoſſe. quid agrorum, id initio belli iure quæſitum
regibus, ipſorũ vſu mãcipióque tenebatur,[38]
ſed vt egregiam ſuorum virtutem liberaliter
agnoſcerent, quorum armis vitęque periculo
ex regni difficultatibus emerſiſſent hoſtium
acie profligata, non modò bello captas, ſed &
hęreditatis auitæ, patrimoniíque ſui prouin-
cias, iis eorúmque liberis in perpetuum tem-
pus vtẽdas fruendas erogarunt: ipſorúmque
magna parte nominibus ſignatas ęternũ po-
ſteritati laudis monumentum extare volue-
runt. Atholiæ nomen Ferguſius primus indi-
dit ab Atholo, quem Hiſpanum origine ex

Hibernia in Scotiam parti copiarum præfe-ctum adduxerat. Quod nominis etiam hodie regioni manet. Silures à Silurtho nominauit à Lelgotho Lelgonas, quos hodie Lẽnoxios, Prolomæus Elgonas appellat. Brigantum gẽti ferociſſimæ. Brigantiam aſſignauit, quã in Galdi regis honorem, & triplicis victoriæ de Cneo Trebellio, C. Siſinnio, Tito Cœlio, Domitiani Auguſti legatis partæ memoriam, poſteri Galdiam, ac mox epẽtheſi Gallouidiam nuncuparunt. Poſt hunc Corbredus ob egregiam aduerſus Romanos operam Morauis Germaniæ populis ipſorum nomine Morauiam attribuit. Deinde Ferguſius ſecundus Cornanæ regione Cathum præfecit, quæ cõ poſito vocabulo poſteris ſæculis Catheneſſiæ nomen eſt ſortita. Sub hoc Roſſii milittes aduerſus Romanos ex Hibernia in auxilium acciti ſuo nomine Lugiam prouinciam beneficio regis occuparunt. Kennethus Pictis occidione deletis, eorum agros copiarũ ſuarũ ducibus pro cuiuſque virtute partitus eſt. Anguſio ac Mernano frattibus Horeſtiam in duas prouincias diuiſit, eorum nominibus etiam hodie celeberrimas. Bari fortiſſimo viro Pictorum arcem adiudicauit longè muniſſimam, quam ipſius poſteri longa maiorũ ſerie tenuerunt, vnicum aduerſus Anglorum

incurſiones in ea regione propugnaculũ. In quorum gratiam, & ne quid ſuis coniuratorúmque conſiliis quod obeſſe poſſet, reliqui maneret, ſpurius haud ita pridem id munimẽti magno Scotorum malo diruendum curauit. Otholinia Fiſo Duffo, heroï præſtantiſſimo, donata, in Fiſæ nomen conceſſit. Sed horum magnificentiam Macolmus immenſa largitione ſuperauit. Is enim vltima Danorum expeditione rebus tandem ex animi ſententia compoſitis, agros vniuerſos, regiámque gazã baronibus, id eſt, equitibus ſuis elargitus eſt, regno ſic in fruſta, ſic in exiguas particulas, quas baronias vocãt, diuiſo, vt nec ſibi quidquam, nec alendæ familiæ reliqui faceret. Marmoream illam cathedram, cuius ante meminimus, in qua Scotorum regũ fatũ ineſſe putabatur, in qua tum fortè ſedebat cũ ditionis ſuæ vim eneruaret, cathedram inquam, in exiguo tumulo poſitam ſolummodo retinuit, imperii ac maieſtatis regiæ ſymbolum. Retinuit etiam ea quæ diximus iura, quibus illi ſe quaſi precario poſſidere: regem poteſtate, imperio, iuriſdictione monarchã, atque, vt noſtri loquuntur, directum omniũ dominum agnoſcerent. Quidquid potuit equitib' ſuis erogauit, omnia municipia, tecta, fundos, agros, latifundia, prouincias, quas

Vardias & veleuias.

hæreditario iure tenebat. Imperio ſeſe, dominio directo, maieſtate regia non potuit abdicare, quæ non hæreditate, ſed etiam lege poſſidentur. Sed illi mox elati rerum copia, regũ inopiam contemptui habere cæperunt. Quapropter non ita dudũ pòſt latę leges ad coërcendam procerum inſolentiam, qui liberalitate principis abutentes, ea quæ regiæ iuriſdictionis erant arroganter vſurpabant, ac nõ tantùm villicos ſuos, & eos quibus prædii particulam vtẽdam certo iure dediſſent, ſed & promiſcuum vulgus in verba ſua iureiurando adigebant, obnixam eorum fidem & obſequium clientelari lege ſtipulati. Quæ fraus niſi quamprimum ſalutari legum remedio prouiſa fuiſſet, actum erat de regia maieſtate, actũ de imperio. Hinc igitur illa ſanctio quã modò retulimus, hinc aliæ permultæ in eandem ſententiam promulgatæ. *Regis ſolius nomine ius omne redditor, conuentus indicuntor, concilia conuocantor.* Id verò caput legis quod in noſtris annalibus expreſſum eſt his verbis, *Capitale eſto ſi quiſpiã in alterius, quam in regis verba iurauerit, ſeu iuramento cum altero ſocietatem inierit, alterius ſe nullius ſocietatem aut miniſterium inituꝝ. & aduerſus quemlibet cũ ipſo iturũ profeſſus*, hũc ſenſum habet, quẽ auctor hiſtoriæ, vir doctus in primis, & Philoſophiæ

theologiæque ſtudiis excellens, ſed parum artis politicæ gnarus, aſſequi non potuit, aut ſi aſſecutus eſt, certè non potuit exprimere. *Si quis iureiurando fidem obnixam, aut* (quod noſtri dicunt) *nullo excepto, alii quam regi ſpoponderit, capite luito*. Vetat enim ne quis alterius ſit, quam regis, homologus. Ex quibus apparet nō tantùm hæreditario iure, verumetiā lege, Scotiæ regnum obtineri, regúmque iuriſdictionem ita perpetua conſuetudine, velut trabali clauo, eorū adhærere maieſtati, vt ab ea non magis auelli poſſit, quàm rationis & intelligentiæ vis ab homine, quam maximè propriam eius differentiam appellant logici, qua mutis animantibus antecellat. Eſt enim ea maieſtatis regię natura, & vt hominis iuriſconſultiſſimi [39] verbis vtar, forma ipſa & eſſentialis ſubſtantia, coronæ ſceptróque inſita quam rex poſteris, non dicam adimere, ſed imminutam, & vel contrahendo, vel delinquendo deteriorem, quàm accepit, tradere non poteſt. Quò fit, vt popularium ſuorū ac regnicolarum, vt vocant, neminem ſibi poſſit ęquare, [40] etiamſi obnixè vellet, neminem emancipare, neminem manumittere citra maieſtatis interitum. Id Iuetotii cuiuſdam exemplo perſpectum & exploratum habemus, quem cū Clotharius primus, auguſtus ille

39. Carol. Molin. in cōſuetud. par. §. 2. gloſ. 4. nu 16. & 17.

40 Plin. in paneg. ad traian.

ille rex, non vſitato iudiciorum more,ſed animi furens impetu violenter occidiſſet,facti pœnitudine ductus, iniuriæ ſarciendæ poſteros eius hominis Gallorum regum imperio liberauit, eorúmque ſummæ ditioni in regni formam redegit eam Neuſtriæ particulã, quam ipſorum maiores acceptam regio beneficio ferre conſueuerant. Ex eo tempore nepotes Iuetotii non minore poteſtate regnarunt, & in ſuos populares imperio,quam Valeſiorum gens in Gallos. Iuetotium ille non potuiſſet Galliæ legibus & imperio ſoluere, niſi regno donaſſet:nec regno donare (quanquam eius rei fundus factus eſt pontifex Romanus) niſi poſteris Galliæ regibus ita libuiſſet,rem ratam habẽtibus, quod ad Iuetotios attinet,etiam regiæ maieſtatis interitú. Vltrò pius ille princeps deſcendit in has leges, ſpõtè ditionem abdicauit,ſponte ſubiuit conditionem,quã nec põtificis auctoritas illi, nec patriarum legũ vis imponere potuiſſet. Nec enim vt inferioris Domini prædium ſuperiori propter rebellionem atque perfidiam,quã feloniam dicimus, in commiſſum cadit,[41] ita quantumuis graui crimine ſuperioris domini prædium in inferiorem,commiſſi ratione tranſcribi debet.[42] Nec quemadmodum facinoris atrocitas patrono,quã in clientem

41 tit. ex quib.cauſ feud.amit

42 §.quicunque aduocat.cõſtit. frideric. de pac. tenend. & ibi Bald. & DD.

adeptus erat beneficii lege, iuris dicundi facultatem adimit, [43] ita ſceleris immanitate ſumma ditio, poteſtas, & imperium regis abrogatur. [44] Hoc enim diſcrimine iuriſconſulti ſummam ditionem extulerunt, hoc obnoxia potiorem eſſe, hoc prȩſtare voluerunt. Ex quibus intelligi poteſt, quod antè retulimus, de luminibus, de ſtillicidiis regi ius dici: de veneficio, de perduellione dici non poſſe. Nam ſi populariũ aliquem quantumuis immani crudelitatis exemplo ditione ſua ſoluere non poteſt, præterquam in maieſtatis regiæ necem, quanto minus faſces ei ſubmittet? quanto minus vitæ nominíſque periculo ditionem eius & imperium prorogabit? Liceat enim ſcholæ verbis vti quanquam abhorrentibus à puritate latini ſermonis & elegantia, tamen ad id quod volumus ſignificandum aptiſſimis, ſpecifica forma, & eſſentialis virtus regis eſt, iuriſdictio, qua ſe nequit abdicare, quandiu rex eſt: neque vis illa ſummæ ditionis atque poteſtatis à regia dignitate, citra perniciem eius & interitum, ſeparari diſtrahíque poteſt. Quod cùm omnium regnorum perpetua lege, more, conſuetudine receptum eſſe videamus, modò non optione populi ſuffragióque nitantur, tum in Scotiæ regno omnium ma-

43 § Domino. tit. ſi de feud. def. cõt. ſit int. dom. & agnat. Molin. in conſuet. paris §. 2. gloſ. 4 nu. 13. & deinceps.

44 Bald. cap. ex facto. qualit. dõ. propriet. feud priu. verſ. pone quod prælatus. Luc. pen. ad l. eum in ſacris. 3. col. verſ. pen C. de prox ſacr. ſcrin. Math. Afflict. deciſ. 295. 3. fallent. nu 23.

ximè valere debet, quod hęreditario iure, quod ſanguinis lege cautum dominis, firmum, ſanctúmque durauit. Maynus enim Scotiæ rex trecentis, aut eo paulo minus, ante Chriſtum annis, primus iuris adminiſtrãdi prouinciam mandare cæpit, attributa municipiis quibuſdam & vrbibus leuioris momenti cognitione, cùm crimina, ſuperioríſque fori negotia ſemel anno vertente ſibi diſceptanda reſeruaret. Poſt hunc Euenus in ſingulis prouinciis iudices, & præter hos latrunculatorem inſtituit, quem noſtrates cronarium appellant: vel vt aliis videtur, quæſitorem, quem Romani veteres lictorem aut viatorem, Galli ſeruientem, & inflexa voce ſergentem, vocant. Hunc ſæculis aliquot ſecutus Ethodius, Argadum Argatheliæ principem, ſuas partes obire iuſſit in iis cauſis, quibus inſtituto Mayni regum præſentia requirebatur. Hunc hodie magnum iuſtitiarium appellamus: qui magiſtratus tot annorum lapſu in ea gente manet, in qua cœpit. Poſt alios alii varia iudicum & magiſtratuũ genera ſanxêre, quoad Iacobus eo nomine quartus ſupremam cauſarum ciuilium curiam inſtituit, ea iudicandi poteſtate quã ſenatui Pariſienſi didicerat à Galliæ regibus indulgeri. Crimina ſuos habẽt iudices à

quibus prouocari non licet. Quædam verò quæ maioris exempli ſunt,regis cognitionem deſiderant:quæScotorum iuriſperitorũ vulgus puncta vocat,ſiue capita coronę reſeruata. Cuiuſmodi ſunt maieſtatis, raptus, incendii;& id genus aliorum. Quod inſtituto Seruij Tullij factum videri poteſt,qui vt antè retulimus, lęſæ maieſtatis diſceptationem ſibi retinuit,aliorum criminum cognitione delegata. Quę certè ſatis argumenti præbent,iudicia Scotorum regum eſſe propria,nec vllum eſſe magiſtratum, qui non ipſorum nutu geratur,nec vlla de re ſtatui poſſe, quę non auctoritate regia diſceptetur: fiſci negotia cauſáſque ſacri patrimonij per ſenatum, aut prouinciarum iudices, eorum voluntate definiri,à quibus iudicandi munus acceperunt. Cæterum perſonas regum auguſtas & ſacroſanctas eſſe debere:de quibus ſtatuendi facultatem arrogare, diuinæ maieſtatis & humanæ crimini vertatur. Nam ſi grauioris notæ priuatorum ſcelera per magiſtratus nequeunt expiari,qua fronte de fortunis, de fama, de capite principum ſuorum cognituri prodibunt?quanto ſacrilegio, ſcelere, parricidio feralem principi ſententiam ferent?cuius niſi munere beneficióque commendatã, nullam ſententiæ dicendæ, ne in ciuilibus

quidem cauſis, nullam iuris & iudiciorum poteſtatem habent. Tribunal regum ſedes eſt: In eo iudex non ſuam, ſed regis perſonam ſuſtinet. Se capite minuit, cùm in regem pronunciat. In pecuniariis cauſis diuerſa ratio eſt, quia volente, quia iubente rege pronunciat, non aduerſus regem, ſed regi: nec iudicii nomen id quod agitur, ſed conſilii potius, vel admonitionis ſortiri debet. Iudicia ſiquidem feruntur in inuitum: regi ius dici non poteſt inuito. Nam id quod dicitur, ipſius conſenſu, mandato, & imperio dicitur: ipſe ſuum ſententiæ nomen accommodat, cuius auctoritate ſuſtineatur, alioqui nullum effectum & executionem habitura. Non igitur de plebe neſcio quis homuncio, non de procerum turba Cornelius aut Sempronius, ſed ipſe rex ſuę cauſæ cognitor eſt, diſceptator, & iudex. Aliud enim in regum, aliud in priuatorum negotio iuris obſeruatur. Rex enim quia iuriſdictionis omnis auctor eſt, quia ſuperiorem ſe non habet, à quo iudicetur, & iudicis & rei partes obit.[45] Priuati verò quamquam ſummi ſecundum regem viri, quamquã rebus geſtis, genere, diuitiis ſi fieri poſſet, etiam regi pares, quã quã ingenio, virtute, ſapientia longiſſimo regem interuallo relinquunt, nulla tamẽ ratio-

45 Panorm. in cap. cũ veniſſent & cap. nouit de iudic.

ne,lege,more,conditione iudicium ſibi dictare queunt. Cæterùm quod ais iudices non adeo multum ſupra vulgus eminentes, & qui tanto interuallo ſint infra nobiles reos quanto rei ſunt infra reges, de ſummorum virorum fortunis ſtatuere, falſum hoc & ineptum eſt. Optimates enim illi tui & primarii viri quos vocas, regum ſeruos & mancipia ſe profitentur: quos adorant proſtrati, quos aduoluti genibus interpellant, nulla cum iis ſimilitudine comparandi. Quid cum iis dico? imo ne cum iudicibus quidem quamuis infimę conditionis hominibus, quibuſcum ſi contendatur, nullo numero, neque loco veniunt æſtimandi, quòd hi priuati ſint, illi regum auctoritate nitantur. Illos rex ob virtutem & ſapientiam dignos honore iudicauit: hos criminis infamia, vel, vt noſtri loquuntur, reatus omni dignitate ſecludit ac ſpoliat.

pag.9.

46 Sed vt regum illi perſonam apud noſtrates agant in lite nummaria, de capite nobilium reorum, de fama, iudicio certare non audent. Nam antiqua patriæ lex tredecēuiris eiuſdem cum reo conditionis, extra ordinem capitalium rerum diſceptationem attribuit. Hanc te legem ſcire diſſimulas, qui principē capitis arceſſere non erubeſcis. Nos enim tredecim habemus in Scotia reges?

L. 1. C. vbi ſenat. vel clar.

Tredecemuiros in Scotia reperias eiuſdem cum rege conditionis & fortunę,qui capitalem ei ſententiam dictent? *Sed nemo qui ad iudicē venit,ad inferiorē venit,præſertim cum tantus honos à deo ipſo iudicū ordini habeatur,vt eos nō reges modò ſed etiā deos vocet,ſuámq;,quoad fieri poteſt,dignitatē cum eis cōmunicet.* Sed & regibus communicat,quos iudicum iudices eſſe voluit.Quid hæc ad rē? Quidquid enim magiſtratuū eſt, quidquid iudicum,regibus obnoxiū eſt.Quidquid poteſtatis ditionis,imperij nacti ſunt, id acceptū benignitati regū præſtare tenentur, in quorū præſentia non ſecus euaneſcit, quam in meridiano ſole ſtellarum fulgor,quæ coruſcāt in tenebris, & lucidiſſimis radiis mirū in modū ſcintillantes apparent.Quemadmodū enim illę prçſenti quidquid habent luminis ſoli fœnerātur:ita magiſtratuū poteſtas omnis,vis, & imperiū vbi præſto rex eſt,ad eum redit à quo profectum eſt.Quemadmodū flumina cùm ad maris oſtia peruentū eſt à quo profluxerunt,& cuius aquis inundētur, nomē amittunt ſuū ſic aduentante rege magiſtratuū obſcura iuriſdictio& ſuſpēſa manet,in eum redūdans à quo manauit. Nam vt corpora quamlibet ardua & excelſa procerioribus admota decreſcūt: ſic altiſſimæ ciuium dignitates collatione

regalis faſtigij quaſi deprimuntur, quantóq; propius ad magnitudinem regij ſplendoris aſcenderint, tanto longius à ſuo deſcendiſſe
pag. 90. videntur. Quocirca parum conſultè reſpondiſſe videris, qui negas quidquam intereſſe, rex, an regius cognitor fiſcive procurator ad ſit iudicio, quoties fiſci regíſq; periculo litigatur. Quanquam enim Traianus, vt iam diximus, in ſenatu nõnihil de imperij maieſtate remittebat: quanquã Claudius Auguſtus, vt iudicum ingenia periclitaretur, eorum cognitionibus, priuati hominis perſona & habitu, vt vnus è cõſiliariis intereſſe ſolebat,[47]
47 Sueton. in Claud. noſtris regibus id non eſt in more poſitum, quibus aliquãto plus eſt auctoritatis in ſuos, quam in populũ Rom. Traiano, quam Claudio, quam Tiberio, quam Auguſto fuit. Cùm enim ſibi ius ipſi dicere nõ vetẽtur, quorum arbitrio res omnes rationéſq; populariũ ita permiſit Deus, vt ad nutum eas libidinémq; ſuam, etiam ſine iudicio, regere, moderari, componere queant, tamẽ honeſti potiorem quam iuſti, quàm liciti rationem habentes, non tantùm abſtinent ſententiæ dictione, verumetiam foro, procuratorum ſuorum patrocinio cõtenti, ne regiæ dignitatis ſplendore iudicium oculi perſtringantur. Nam
48 Virgil. 12. Æneid. quod ait ille,[48] vehementer admodum

Vrget præſentia Turni.

Non igitur abs re tribunalia creatis à ſe magiſtratibus relinquunt, idque ſolemne reges habent, vt nunquam in orcheſtra cōſpiciantur, niſi quid momenti grauioris inciderit, quod ipſorum auctoritate, & abſoluta ſummáq; ditione, poteſtate, numine decidatur. Quod ſi tanta principum reuerentia eſt, vt in cauſa pecuniaria iudices eorum aſpectum ferre non queant, quantæ fuerit impudentiæ capitis iudicium iis, aut famæ dictare, quod interuentu procuratoris, quod in abſentem reum ferri non poteſt? 49 Sed qua tandem ratione iudicium conſtituetur? quo tandem modo nominis aut vitæ reus agetur, qui maximorum ſcelerum manifeſtos auctoritate ſua liberat? qui ſententiā paſſos vitæ famæq; reſtituit? 50 qui crimina non remittit modò, verumetiam abolet? 51 Qui alios iudicium ſententia damnatos fato eripit, ſuam ſalutem tueri non poteſt? Qui ſententiam reſcindit in alios latam, ne de ſuo capite feratur, nec vetare, nec intercedere valebit?

49 L. abſentem, C. de accuſ.

50 L. 1. §. an autem, D. de poſtul. L. 1. C. de ſentent. paſſ. L. omnes iudices C. de decurion.

51 Andr. Iſern. de vſib. feud. tit. quæ ſit prim. cauſ §. præterea.

Cap. 32.

TV verò quāquam iſta ſic habere nō ignoras, nouercali tamen in reges odio redis ad argutias, & quod hauſtis è ciuili diſciplina rationibus impetere non potes, ſophiſticis

pag. 86. nugis & captionibus, velut cuniculis oppugnas. Quorſum enim illud inductionis, quod ex diſſimillimarum rerũ enumeratione contexitur, niſi vt in laqueos incidant incauti, & veris conceſſis, eorũ ſimilitudine falſa concludantur? Eſt enim ea natura cauillationis, quam σωρίτην appellant Græci, vt ab euidenter veris per breuiſſimas mutationes, diſputatio ad ea quæ euidenter falſa ſunt perducatur. [1] Sic enim colligis, *Victoriam equis, equos ephippiis, phaleris, calcaribus, frœnis præſtare, quod hæc equorũ equi victoriæ cauſa cõparati ſint: eodem planè modo præſtantiorem eſſe populũ rege, quòd is ſalutis publicæ cauſa ſit inſtitutus à deo, ac ſi nullus populi cœtus eſſet, regibus nõ foret opus. Si verò populus rege præſtantior eſt, ergo & maior. Rex igitur cum ad populi iudiciũ vocatur, minor ad maiorem in ius vocatur.* Olim in ſancti ſeruatoris & Leonardi collegiis hoc genus argumẽta vapulabant: tibi per me licêre volo, qui quanquã in aulæ regiæ mancipia ſtrenuè debaccharis, ſcholaſticam in Leonardi collegio vitam aulicæ poſthabuiſti. Sed ad rem. Si quod affers argumẽti conſequens eſſet, efficeretur ouiũ vel porcorum gregem homine præſtantiorẽ eſſe, quamuis ratione & intelligẽtia prædito. Ouibus enim quæſitus paſtor eſt, non oues paſtori. Nam ſi nulli ouium greges eſſent, pa-

1 L. eſt enim D. de regul. iur.

ſtore non foret opus. Pupillus tutore melior eſt? curatore furioſus? æger medico? Et tamen nõ tutori pupillus, ſed tutor pupillo: non curatori furioſus, ſed furioſo curator: nõ æger medico, ſed ægro medicus adhibetur. Non eſt diſcipulus magiſtro ſuperior, quanquam non magiſtro diſcipulus, ſed diſcipulo quæſitus eſt magiſter. His oratio tua refellitur, qui tanta cõtentione probatum cupis, ea quæ alterius inſtituta ſunt, cauſa, minoris eſſe illis, quorũ cauſa quæſita ſunt. Sed addes argumẽto id, quod iam antè negauim*, regem à populo creari. Quid inde? Nam & Lacedæmone creabãtur à regibus ephori, neq; tamẽ regibus aſſurgebant,[2] quos, quanquã auctores ſuæ dignitatis, ſibi habebant obnoxios. Sed his omnibus auctoritatem adiecero doctiſſimi Fabri, qui populo regem ſuperiorem eſſe contendit,[3] ad quem neceſſario recurrendum ſit, qui ſolus reipub. perſonam agat, ſolus iudiciorum potiatur, ſolus imperare, ſolus imperium mandare queat. Atque vt iuriſconſulto theologum addamus, Auguſtinus, lib. quæſt. de vtr. mixt. cap. 101. Imperator, inquit, vt imperator appareat, ordinatur obſequio militari, non tamen melior, imo nec par eſt exercitus imperatori. Negat Hieronymus,[4] principem vlla

2 Plutar. in apophth. Lacon.

3 §. populus num. 3. §. ſed & plebi, & §. ex non ſcripto. num. 8. inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil.

4 In pſalm. 51. verſ. tibi ſoli peccaui, & Ambroſ. in apolo. Dauid. ibidem.

cogi poſſe lege, cùm nõ habeat ſuperiorem. Si verò multitudo principe ſuperior eſſet, ſi iure frãgere poſſet impoſitum à principe iugum, cùm natura ſit nouarum rerum appetẽtiſſima, inconſtans, leuis, impotens: cùm diſcordiis atque ſeditionibus alatur, contrariis ſtudiis & opinionibus agitetur, breui momẽto in alienam perniciẽ ſuámq; pariter exultaret. Nunc verò cum totam mentis aciem rationibus intendo, quibus populo merum aſtruas imperiũ nullam penitus inuenio, cur id vel factum ſit, vel fieri expediat, in animũ inducere queam. Factũ eſſe negant faſti, negant vetuſtatis monumenta, quorum niſi fide ſuſtineare, fruſtra confugeris ad argutias. Fieri verò non potuiſſe vt ſumma rerum in cõfuſa populi multitudine ſubſiſteret, ex iis quæ diſputata ſunt apparet. Populus enim omni ſæculorum memoria parendi neceſſitate cõſtrictus, ſub magiſtratuum, magiſtratus ſub regum, reges nullius imperio vixêre. Vixiſſent, ſi commodo ſuo fore iudicaſſent.

Caput. 33.

SEd tu parum conſtans & propoſiti tenax, modò populi, modò magiſtratuum legib⁹ & imperiis regem alligas, quaſi vel fuerint,

vel eſſe potuerint inter hos ordines imperãdi mutuæ parendíque vices : quaſi iudicio, quod nos cõmuni diuidundo vocamus, partem quiſque ſuam ſummi ſortiatur imperij. Quæ res cum ipſa rerum natura pugnat, quæ vetat eodem momento vnum aliquem patiendi munus & agendi ſubire. Quod neceſſario vſuueniret, ſi imperij viciſſitudo illa & obſequij, vel etiam partitio toleratur. Summum enim imperium omnes & philoſophi & iuriſconſulti ponunt in eo rerum genere quæ diuidi non poſſunt.[1] Nec enim temerè, nec perperam excidit illud vati,[2]

Omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Tiberius Cæſar initio principatus non tam animi propoſito, quam ſimulatione, petebat à ſenatu collegas, quibus ſummæ ditionis cõmunicata portione facilius reipub. cura defungeretur.[3] Aſinus Gallus primæ claſſis & ordinis ſenator in priſtinæ libertatis amore ſtudióque vehementer affectabat : ſed non ignarus quo animo loqueretur, ioco iocum eludens, optionem ei detulit, eligeret partẽ quam vellet imperij: mox ſeriò ſubiecit, non pati rerum naturam, vt principatus, vt imperij ſumma diuideretur, aut vt Dionis verbis vtar, ἀδύνατον τὴν ἀρχὴν διαιρεθῆναι. Nam vt

1 Lactan. lib. 1. cap. 3. & DD. ad parag. præterea ducatus. de prohi. feud. alien. per Frider.

2 Lucan.

3 Dio Nica. in Tiber.

liceat mihi hic ad cataſtrophé diſputationis enixè feſtinanti, cum Neoptolemo Enniano paucis philoſophari, quod ſummum eſt, vnũ eſt. Si duo ſumma eſſent, alterum alteri vel ſubeſſet, vel omnino par eſſet. Si ſubeſt alterum alteri, certè ſummum eſſe non poteſt, quia nihil ſummo ſuperius inuenitur. Sin verò vtrúmq; par eſt & æquale, vel inter ſe diſcrepant omnino, vel ſibi mutuò conſentiũt: vel partim diſcrepant, partim conſentiũt. Si diſcreparent omnino, nulla rerum eſſet harmonia, nullus cõſenſus, nulla concordia: iãdudum mundus ſenio defeciſſet: nõ eſſet ea facies vniuerſi quam videmus: omnia iam olim mutuis diſſenſionibus peſſum iſſent, natura in priſtinum chaos reuoluta. Atqui profecto neceſſe eſt in eo ſaltẽ conſpirent, quod vtraque rerum principia dicantur, vtraque ſint, agantq;. Non igitur omnino diſſentiũt. Nec etiam omnino cõſpirant, tum enim nõ eſſent duo, ſed vnum, quo nihil optamus vlterius in quo acquieſcam⁹. Sin autem, quod tertio loco propoſitum eſt, partim differũt, partim inter ſe conueniunt, quoniam vna eſſe non poteſt concordiæ diſcordiæque cauſa, neceſſe eſt ineſſe communem quandã vtriſque naturam, cuius vinculo cõſocientur: ac prætereà ſingulis etiam oportet ineſſe di-

uerſum quēdam naturæ genium, cuius odio diſſiliant,ac ſibi mutuo reluctentur. Qua ratione fit, vt neutrum ſummum dici queat, quia neutrum ſimplex eſt, ſed ex multiplici naturæ diuerſitate conflatum. Neutrum primum eſt, quoniam ex eo vinculo quod diuerſos naturæ genios conciliauit, vtrumque dependet. Neutrum per ſe ſubſiſtere poteſt, quia totum partibus, partium altera alterius eget auxilio,& quod ait ille,[4] 4 Horat. in art.

Alterius ſic

Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Non igitur ſumma dicentur, ſed id potius ſummum erit,quod illis inter ſe luctantibus, longéque diuerſis naturam dedit communem,cuius beneficio coaleſcerent. Nam cōmunis iſta vtriuſque natura, quæ in duabus illis diuerſis naturæ proprietatibus iacet,earum anguſtiis circumſcripta, ab vnitate manat,quæ in ſe ipſa conſiſtens, nullo neq; modo neque fine coërceri concludíque poteſt. Communis igitur iſta natura, cuius vinculo duo illa, quæ ſumma diximus, cohærent, aliunde profecta principium dici non poteſt, ſi non principium, ergo nec primum: ſi non primum,ergo nec ſummum. Quin & differētes illæ duæ proprietates aliunde prouenīūt. Neque enim à natura communi gignuntur.

Nam ita foret,vt breui coïrent, & mutuo cō cordiæ, pacis, & amicitiæ fœdere conſpirarēt. Ex quibus efficitur, illa duo quæ dicim⁹, cum ſua vi non ſubſiſtant, ſed naturæ partibus conſtent foris aduenientibus, à ſuperiore ſcilicet principio atque cauſa, non rectè ſumma nominari, ac in quolibet rerum genere quod ſummum eſt, vnicum eſſe duntaxat, non multa. Sed exēplis rem illuſtremus. In ſole ſummam lucem ineſſe ſtatuem⁹: duo certè ſoles ſumma luce præditi non poterūt exiſtere. Nam eo ipſo, quod ſumma luce præditi ſunt, inter ſe conueniunt, & ex duobus vnus ſol efficitur. Quod ſi duo ſunt, nō ſumma luce, ſed alia quadam natura differunt. Si verò diuerſam à luce naturam adepti ſunt, eius contagione lux obſcurabitur quodammodo, ac proinde non erit ſumma. Sic igni ſummum calorem ineſſe dicemus, cui nihil eſt admixtum frigidi cuius conſortio tepeſcat. Calor enim ignis, alterius alicuius rei quàm ignis adiectione, reſtinguitur ac impeditur, qui purgatus & ſimplex feruētior exiſteret. Eodémque modo ſummam poteſtatem, vnam, ſimplicem & abſolutam eſſe dicimus. Nam ſi duę ſummę poteſtates eſſe dicantur, earum vna habet quidquid habet altera, aut nō habet, ſi habet, vna iam poteſtas eſt,

eſt,non duæ:ſi non habet,neutra ſumma eſt. Alteri ſiquidẽ poteſtatis aliquid ineſt, quod in altera deſideratur. Ex his,opinor,philoſophorum antiquiſſimi deum vnum eſſe collegerunt,eúmque ſummum,potentiſſimũ,optimum,qui & condiderit omnia,& eadẽ qua condidit virtute moderetur. Nam ſi diuina vis ac poteſtas diſtribuatur in plures, diminui eam ac interire neceſſe eſt, quo quid eſſe poteſt abſurdius? Deum enim æternum,perfectum, immutabilem eſſe voluerunt. Cum autem virtutis perfecta natura eſſe nõ poſſit, niſi in eo in quo tota ſit, deus certè ſi perfectus eſt,vnus eſt,vt in eo ſint omnia. Quod ſi plures eſſent dij,tantùm poteſtatis vni decederet,quãtum cæteris accreſceret: ac eo debiliores forẽt,quo plures. Virtus enim vt augetur vnione, ſic diſperſione minuitur, Ex quo fieri videm⁹,vt vis tum caloris, tum frigoris intenſior ſit ſudo cęlo, quam humido, quam nubiloſo,quod ſiccitas vniat, diſſipet humiditas. Græciæ ſapiẽtes vnitatem rerum omniũ cauſam eſſe cenſuerunt,[5] ex qua orirentur,in quam redirent: ex qua cætera multitudo procrearetur,cui pareret. Plato ex vno producit omnia,[6] omnia vno metitur,[7] ad vnum omnia reducit.[8] Quid multa? qui plures deos,ac eos quidẽ officia inter ſe par-

[5] Diogen. Laert. lib. 1. & 8. & Plutar. de placit. philoſ. Macrob. in ſom. Scip.
[6] In Timæo
[7] In phileb.
[8] In epinomide.

titos introduxerunt, exacti ſapientum collegio, nulla poſteritatis laude commendantur. Nunc verò quemadmodum, vt Cyprianus ait,[9] ad diuinum imperium de terris mutuamur exemplum: ſic cæleſtis imperij ſimilitudine terrena metiamur. Principes enim cũcta moderãtis ſimulacra ſunt Dei: terrena politia cæleſtis eſt imago.[10] Nam niſi diuinis ac cæleſtibus inferiora iſta reſpondeant, nullũ genus reipub. firmum, ſtabile, diuturnum aſſequemur. Cum igitur illic ſumma rerum in vno reſideat, ecquanã ratione fieri poteſt in terris, vt inter regem & populum diuidatur, cùm ea nec augeri, nec minui poſſit, nec mãdari, nec cedi, nec alienari? ſtabilem enim & perpetuam eſſe oportet. Si quis particula demandata fruitur, ea nihilo minus in delegãte remanet. Hũc enim vel legati, vel procuratoris, vel vicarij vocabulo nominare ſolemus, qui poteſtate ſua & imperio nihil agat, ſed mãdantis poteſtatẽ & imperium exerceat. Quid ſi ſummã rerum vnã eſſe, ſed regem & populum inter ſe partitos officia cõcedamus? Eodẽ certè reuoluimur. Neuter enim ſummus erit, quoniã alterutrius officiorũ acceſſione creſceret alterius imperiũ. ſummo nihil accedere, nihil decedere poteſt. Ac iam principi recurrẽdũ eſſet ad populi, populo ad princi-

9 In lib. de Idol. vani.

10 Plutar. in lib. ad princ. indoct. Plat. in regn. Franc. Georg. venet. harm. mund. cantic. ton. 3. cap. 15.

pis auxiliũ,nec ſine mutuis officiis tantę molis gubernacula tenere poſſent.Quid enim ſi diuerſa ſentiant?quid ſi alter alteri petẽti deneget operam?Quid ſi neceſſario reipub. tẽpore princeps à populo male ſano iuſti deſiderij repulſam tulerit ? Cùm vterq; deſcriptos habeat officiorum fines , neutrius poteſtas lõgius euagari ac progredi valebit, alterius poteſtate occurrente ac vetante : aut ſi progreſſa fuerit, alteram ſuis finibus eiiciat. Hinc ſeditiones, hinc bella, hinc inteſtinæ clades vtriuſque vitam,fortunáſque percellent,quoad alter profligatus,&in ſeruitutem redactus,ſumma rerum omnium victori deceſſerit,Nã fieri certè nõ poteſt,vt princeps, populúſque ſemper idẽ velint. Si quis igitur hac opinione ducitur , & ſummæ poteſtatis partem regi,partẽ populo permittat,hũc eadẽ ratione cenſeo pellẽdum regno , qua voluit Homerũ exulare Plato,qui diſcordes inter ſe deos & bellantes introduxit , cum alij Troiam capi vellent,alij repugnarent.[11] 11 Ouid.

Iuppiter in Troiam,pro Troia ſtabat Apollo;
Æqua Venus Teucris,Pallas iniqua fuit.

Quod enim maiorum gentiũ deos inferiorũ ſuffragia ſollicitè mẽdicantes,ac ipſum Iouę precario regnantem,& vxoris,filiæ,familiariúmque rebellione petitum finxit ille , id

Plato in hominũ vita negat eſſe tolerãdum, qui quidquid in multitudine virtutis, imperij, maieſtatis eſſe poteſt, id totum in vnum
12 In lib. de repub. & in polit.
regem conferendum eſſe iudicauit. [12] Niſi enim ſingularum partium poteſtas ad vnam prouidentiam referatur, ſumma poteſtas cõſtare non poterit, vnoquoque nihil amplius curante, quam quod ad eum propriè pertinebit. *Siquidem naturale vitium eſt, negligi quod communiter poſsidetur, vtque ſe nihil habere putet, qui totum nõ habeat, ſuam denique partem corrumpi patiatur, dum inuidet alienæ.* [13] Sed rectius idẽ
13 L. 2. C. quand. & quib. quart. pars.
Homerus hominum quam deorum inſtituit politiam, cum alio loco multitudinis fugiẽda monet imperia, & vnum omnium regem, vnum dominum ex naturæ lege probat. [14]
14 Lib. 2. il-liad.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.

15 Lib. 12. metaph.
Quam ſententiã magnificè laudat Ariſtoteles, vbi diſputat, [15] πρὸς ἓν ἅπαντα συντετάχθαι.
16 Diogen. Laert. lib. 1. de plac. phil.
Eam Ante Homerum extulit Muſęus Athenienſis Eumolpi filius: [16] eam poſt Homerũ cæteri poëtæ, theologi, philoſophi, iuriſconſulti, docti omnes vehementer exoſculati
17 Luc. 11.
ſunt. Chriſtus regnum in ſolitudinem redactum iri comminatur in ſe diuiſum. [17] Idem
18 Matth. 6. Cyprian. lib. de Idol.
negat poſſe quemquam duobus dominis inſeruire. [18] Quando enim imperij ſocietas aut

cũ fide cœpit, aut ſine cruore deſiit? [19] Exẽplo fuerint Etheocles & Polynices, Numitor, & Amulius, Romulus & Remus, Antoninus & Geta, aliíque infiniti, quorum tragœdiis plenæ ſunt hiſtoriæ. Quarum ſcriptores non ratione modò, verumetiam exemplorum frequentia moti, regnum inſociabile quiddam appellarunt. [20] Quin & id prudentiſſimis hominibus, & in adminiſtratione rerum exercitatiſſimis, obſeruatum eſt, communionem rerum vberrimum eſſe litium, rixarum atque ſeditionum ſeminarium: [21] eóque nullam in æternum ſocietatis coïtionem eſſe poſſe dixerunt. [22] Alexander magnus Dario multis auri talẽtis efflagitãti, vt Aſiæ regnum æquis ſecum portionibus diuideret, abnuit, quia neque terra duos ſoles, neque duos Aſia reges ferre poſſet. Idẽ antea Lydi Cræſo reſponderant, cum fratrẽ in imperij cõſortium adſciſcere vellet. Nam verè poëta, [23]

ſummo dulcius vnum
Stare loco: ſociiſque comes diſcordia regnis.

His accedit, quod ſi ſummã poteſtatis & imperij inter regem & populũ diuiſam eſſe patiamur, continuò redeundum nobis erit ad ἀναρχίαν, ex qua poteſtas illa coaluit. Quod enim diuiditur, ex iis conflatum eſſe neceſſe

20 Corn. Tacit. lib. 2. Quint. Curt. de reg. geſt. Alexand. lib. 9. Herodian. lib. 8.

21 Ariſtot. lib. 2. poli. cap. 3. Papinian. in L. cum pater. § dulciſſ. de legat. 2.

22 L. nulla. d. pro ſoc.

23 Stat. Papin. lib. 1. Thebaid.

24 Ariſtot. lib. de ort. & inter.

eſt,in quæ poſtea diſſoluitur. [24] Nã hæc quidem naturę lex eſt,vt quidquid diuiditur intercat. Nullus autem,vt ait M. Tullius,[25] interitus eſt reipub.naturalis. Violẽtam igitur eſſe oportet,& inimicam naturæ diuiſionem illam regij,quam tu laudare videris,& popularis imperij:niſi fortè neges eã tibi probari, *cum ais tãtum eſſe populo poteſtatis in reges, quantũ regibus eſt in populum: idque non tantùm vniuerſo populo,aut maiori eius parti, verumetiam iis in quos populus,aut maior populi pars eam poteſtatem tranſmiſerit.* Sed eſto: tibi non probetur: vtrius ergo ſummam ditionem eſſe iubes?Regíſne? minimè verò, ſed populi. Quid igitur rex? Nihil ditionis habet?Nihil,niſi quod à populo mandatum eſt.Nũquam igitur imperabit inuito?nunquam.Non igitur rex eſt,quia populum non regit, ſed regitur à populo: non regnat,ſed ſeruit:nõ eſt monarcha, ſed vnus multorum paret imperio.Quæ cum abſurdè colligis,parũ meminiſti propoſitę ſimilitudinis inter regem & medicum. *Quemadmodum enim ille vel conſentientem ægrum, vel inuitum ſæpe ſanat: ſic rex nouam legem, & tamen vtilem, ciuibus aut perſuaſis,aut etiã inuitis imponere poteſt.* Pugnantia nõ vides? Regem populo ſubeſſe iubes, quem populo vis inuito legem imponere. Populo ſummam rerum attribuis, quẽ

25 Lib.3. de repub.

pag.88.

Pag.28.

reluctantem & inuitum regis imperio ſubiicis. Sed quî fieri poteſt, vt idem patiatur & agat? idem dominetur ac ſeruiat? Verùm pœnitentia ductus ad calcem operis id reuocas, quod initio conceſſiſti. Nã id poteſtatis quo regem extuliſti, excidiſſe videtur incogitanti. Sed vt te pœnitentię tuæ pœniteat, redeamus ad rerum naturam, quæ quod ſummum eſt pluribus ineſſe non ſinit. Natura enim, vt ait ille,[26] commenta eſt regem. Rex vnus eſt in apibus, dux vnus in gregibus, & grues vnã ſequuntur ordine literato. [27] Atque in hoc, vt Cyprianus ait,[28] omnis natura conſentit. Vni corpori varia membrorũ miniſteria deſeruiunt: varii corporis ſenſus ab vna mente reguntur: multiplices animorum affectiones vna ratio moderatur. Quod ſi quis tot mentes eſſe putet quot ſenſus, quot affectus, ne ipſam quidem, quæ vna eſt, habere videbitur. Hanc ſimilitudinem ars imitata, vnum in familia dominum, vnum in exercitu ducẽ, vnũ in naui gubernatorem, vnum in populo regẽ eſſe iubet. Si enim ad plures in quouis hominum cœtu totius ſummæ cura referatur, paulo momento cuncta ſoluentur & corruent. Quotquot de repub. ſcripſerunt, regnum vnius dominationem, eóque præſtantiſſimam reipub., formam eſſe tradiderunt.

26 Senec. lib. 1. de clem.

27 Can. in apibus. 7. qu. 1.

28 de vanit. idolor.

29 Problem. ſect. 11. Vnus, enim vt ait Ariſtoteles,[29] facilius efficit quæ vult, facilius mouet, quam multi. 30 L.2. §. nouiſſimè. de orig. iur. L.3. §. apparet. de admi niſt. tut. Quod & iuriſconſultos minimè fefellit, qui naturæ legem animo complexi, per vnum res facilius expediri pronunciarunt.[30] Populus certè corpori ſimilis eſt, rex animo. Corpus autem natura ſua nihil agit, niſi ab animo ad agendum impellatur. Cõſtat enim, vt Platonici voluerunt, ex materia & quantitate, quæ nihil aliud eſt, quam extenſio materiæ. Extenſionem porrò affectionem, ſiue paſſionem vocant, quæ diuiſioni ſemper obnoxia ſit infinitæ. Quo fit, vt corpus ſua ſponte nihil agat, cum pati cogatur, & efficiatur ſemper extenſione materiæ, quæ flueret in infinitum, niſi ab animo tanquam forma ſiſteretur inérſque & inefficax mouere ſeſe ipſa non poſſet, niſi ab illo motus principium & actionis mutuaretur. Quo fit, vt parêre multitudinis ſit, quæ corporis ſimilitudinem refert: principis imperare, qui quoniam vnius animi ſimilitudine per vniuerſum corpus diffuſi, vnus eſt, in multa diſtrahi non poteſt: quinimo multitudinem cohibet in infinitas alioqui factiones abituram, ac tanquam in alia ſemper corpora diſtrahẽdam. Sed elegãtius 31 lib. 1. de clem. cap. 3. 13. hanc ſimilitudinem expreſſit Seneca,[31] qui regem vocat mentem imperii, ſpiritum vita-

lem quem tot hominum millia trahũt, & vinculum per quod reſpub. cohæret. Sic igitur ille. *Quemadmodum totum corpus animo deſeruit, & manus, pedes, oculi negotium illi gerunt: illum hæc cutis tegit, illius iuſſu iacemus, aut inquieti diſcurrimus: cum ille imperauit, ſiue auarus dominus eſt, mare lucri cauſa ſcrutamur: ſiue ambitioſus, iamdudum dexteram flammis obiecimus, aut voluntariè ſubſiluimus: Sic immenſa populi multitudo, vnius animæ circumdata, illius ſpiritu regitur, illius ratione flectitur, preſſura ſe ac fractura viribus ſuis niſi conſilio ſuſtineretur.* Nam ita profecto rerum naturam temperauit deus, vt quemadmodum corpus ab animo, cupiditates à ratione, à capite membra legem accipiunt: ita multitudini rex vnus, non multitudo regi dictet viuendi regulam: vnus imperet, multi pareant. Id enim legibus, id moribus, id rerum naturæ conſentaneũ eſt. Quod ſi recurrẽdum eſt ad exempla, fœliciora ſemper, & diuturniora manſerunt imperia, quæ paucorũ, quam quæ multitudinis, quæ vnius, quam quæ paucorum arbitratu vixerunt. Nam vbi pauci rerum ſummæ præſunt, mutuis odiis, inuidia, ſimultate vel deſeritur rei pub. cura, vel ambitioſè de primo loco certatur: quem quia plures obtinere non poſſunt, difficilimum eſt multis eò ſimul anhelanti-

bus ſanctam ſeruare ſocietatem. Vbi verò multi ſumma rerum omnium poteſtate valent, iuris & æqui nundinatione diu valere non poſſunt, ſed omnia corruptiſſimis populi ſuffragiis breui momento peſſum ire neceſſe eſt. Nam id reipub. genus, in quo populi multitudo plurimum poteſt, ſapientiſſimi quique non politiam, ſed forũ potius in quo vænеant omnia dici voluerunt. [32] Id expertus Iugurtha, qui ſcelerum conſcientia victus cùm Roma diſcederet, fertur eò ſæpe tacitus reſpexiſſe, ac poſtremo dixiſſe vrbem vænalem & maturè perituram ſi emptorem inuenerit. [33] Conſiderunt Atheni-enſium, Lacedæmoniorum & Romanorum reſpubl. pòſt paulò quàm in populi ditionem conceſſerunt. [34] Ab vno cœperunt illæ quidem cùm antea non eſſent, ab vno cœptas & conſtitutas pauci retinere non potuerunt, multi perdiderunt. Afflictæ, iacentes, & perditæ non multorum, ſed vnius ſemper induſtria, virtute, ſapientia erectæ, recreatæ, reſtitutæ priſtina fœlicitate claruerunt. Sed vt hæc alias aliter ceſſerint, & nihil aliorum regnorum exempla rem propoſitam adiuuent, hoc certè nos, hoc maiores noſtri vixerunt inſtituto, paruerunt vni, cuius imperio nemo bonus vnquam reclama-

32 Plutar. in Dion. ex Platon.

33 Salluſt. in bell. Iugurth.

34 Claud. Seſſellius. lib. 1. de repub. Gall.

uit. Plebis ignauiam, vulgi temeritatem, inſolentiam indomitæ multitudinis & effrænem tyrannidem, non ſecus ac peſtem, perniciem, & interitum vindicta numinis in flagitia graſſantem horruerunt. Nec multos principes imperio mero, ſed vnum eſſe voluerunt, qui vitas omnium popularium fortunáſque ſemper haberet obnoxias. Quibus rationibus effectum eſt vt quamquam multa paſſim regna reperias, & opibus & copiis noſtro potentiora (quod maiores noſtri paruo contenti, ſua tueri magis, quàm alienis inuidere ſatagebant) nullum tamen vſquam gentium oſtẽderis, quod de temporis longinquitate cũ eo in certamen venire queat. Ecquod enim aliud vſquam terrarum inueneris, quod ante mille nongentos annos in ea gente cœperit, in qua etiamnum hodie perſeueret? Ex his, opinor, intelligi poteſt, non modò cum natura pugnare, verumetiam reipub. perniciosum eſſe populi, quod tu ſanciendũ curas, imperium nec imperium modo, ſed nec vllam imperii particulam illi multorum capitũm belluæ ſine ſalutis publicæ naufragio mandari.

Cap. 34.

QVID igitur inquies, immenſam regum poteſtatem eſſe iubes, nulli nec populo,

nec legibus obnoxiam? ſanè quidem. Eſt enim princeps animata lex in terris,[1] quęque agit omnia, numinis inſtar agere cenſetur.[2] Quemadmodum igitur in cęlis nullo neque modo neque fine concluſum numinis imperium eſt, idque cœleſtes animæ ſine tergiuerſatione, ſine mora capeſſunt: ſic in terris regum ſubeunda ſunt imperia, quæ ſine ſacrilegio detrectari non poſſunt, nec populariũ ſuorum iudicio, voluntate, lege definiri. Quoniam autem cœlo tellus inferior eſt, eiuſq; munere fundit ea, quibus regum æquè ac aliorum mortalium vita ſuſtinetur, æquè cœleſtibus imperiis reges ac cęteri mortales obligantur, ac eò magis obligantur, quo præ cæteris mortalibus eminent, eorum conditione ſuperiores. Nam ſingulari numinis beneficentia diuinam in terris poteſtatem obtinent, numinis perſonam in terris agunt, cui negotiorum geſtorum rationẽ ſunt reddituri. Videant igitur vt bona fide gerant. Quanquam enim in terris nulla legis actione poſſunt interpellari, numini tamen, cuius procuratione ſalutem popularium tueri debent, non tantùm de dolo, verumetiam de negligentia, de leuiſſima culpa tenentur, atque vt Publius Mimus ait, in eos graue præiudicium eſt, quod in terris iudicem non

1 Authent. de conſul. in fin. Decius in conſil.

2 Bald. cap. 1. §. vlt., de nou. form fid. in vſib. feud. Zaſ. ad L. 2. §. eadẽ tempore de orig. iur.

habent. Cum enim ad hominum commoditates & vſus tantam rerum vbertatem largitus ſit Deus, vt ea quæ gignuntur donata conſultò nobis, non fortuito nata videantur: 3 nec ſolum ea quæ frugibus atque baccis terræ fœtu profunduntur, ſed etiam pecudes, quas perſpicuum eſt partim ad vſum hominum, partim ad fructum, partim ad veſcendum eſſe procreatas, principes quaſi miniſtros atque procuratores ſuos inſtituit, qui tot bona diuinitus humano generi cōceſſa, partim inter homines diſtribuant, partim aſſeruent, alioqui nullius emolumenti futura. Nam vt ab ethnico philoſopho non minus eleganter quam verè diſputatū eſt, 4 τῶν τοσούτων καὶ τηλικούτων ἃ θεοὶ χαρίζονται δώρων καὶ ἀγαθῶν οὐκ ἔστιν ἀπόλαυσις οὐδὲ χρῆσις ὀρθὴ δίχα νόμου δίκης, καὶ ἄρχοντος. Quibus verbis mox ſubiicit: Eſt igitur legis iuſtitia finis, lex munus principis, princeps cuncta moderantis, rectéq; & ordine cōſtituentis ſimulacrū Dei. At paulo pòſt quærit, τίς οὖν ἄρξει τοῦ ἄρχοντος, id eſt, Ecquis principi princeps erit? Lex, inquit, omnium regina mortalium & immortalium, vt ait Pyndarus. Quò reſpexerunt impp. optimi Theodoſius & Valentianianus, quorum verba, vt ipſe prædicas, omnium ſæculorum memoria digniſſima paſſim famoſis libellis

3 Cicer. lib. 1. de legib.

4 Plutar. in libro ad princip. indoct.

inſeruntur, quaſi patrocinium ea rebellioni veſtræ perfidiæq; ſpōderent. Digna vox eſt, inquiunt,[5] maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe profiteri. Quis negat? Sed de ciuilibus iſta legibus intelligi putas? At nolunt illę principem vlla lege teneri,[6] ſin verò ſponte ſua ſe ciuilibus inſtitutis ſubmiſerint, rem; facient & publicè vtilem, & perſona ſua dignisſimā. Nam maius quiddam eſt imperio, vt aiunt illi, ſubmittere legibus principatū. Hinc nimirum illæ Traiani laudes.[7] *In roſtris quoque ſimili religione ipſe te legibus ſubieciſti: legib9, Cæſar, quas nemo principi ſcripſit. Sed tu nihil amplius vis tibi licere, quam nobis: ſic fit vt nos tibi plus velimus. Quod ego nūc primum audio, nunc primum diſco, non eſt princeps, ſunt leges: ſed leges ſupra principem. Idem Cæſari conſuli, quod cœteris, non licet.* Sed quî poſſunt ita ciuilibus ſe legibus addicere, vt ab iis recedere non queant? Eas enim ex Ariſtotele menſurarum ſimiles eſſe docuimus, quæ temporum & locorum conditione neceſſariò mutentur, alioqui ſtatus publici ruinam allaturæ, ſi perpetua ſtabilitate fixæ manerent. Principem igitur adiuuandi, ſupplendi, corrigendi, mutandi, atque etiam, ſi res ita tulerit, abolendi iuris ciuilis gratia rebus humanis præpoſitum, legibus ciuilibus ſolutum & liberum eſſe

5 L. 4. C. de legib.

6 L. princeps, de conſtit. prin. DD. ad L. vlt. C. de legib.

7 Plin. in panegyr.

oportet, quibus ne omnino teneatur,

mores ſenſúſque repugnant,

Atque ipſa vtilitas iuſti propè mater & æqui.

Non igitur iniuria Plutarchus, vbi principẽ cœleſtis beneficẽtiæ diſtributorem, & velut œconomum inter homines eſſe docuit, ſine quo nullus earum rerum quæ naſcuntur in terris vſus rectus & cõmodus eſſe queat, ſtatim legis cum imperio ſubiecit, quã ex Pindari ſentẽtia definit, πάντων βασιλέα θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων. Quibus verbis nõ ciuilem legẽ vllam, non hominũ inſtituta (quibus mortaliũ res omnes & immortaliũ ſubiici nec poſſunt, nec debent) ſed rationẽ intus animatã intelligit ſemper cõuerſantem principi, quæ ſemper eum obſeruet, ſemper ſequatur, & colat, nec patiatur animum eius agere tutela ſui deſtitũ. Negat igitur hanc legẽ, cuius imperio princeps adſtringatur, vel in libris ſcriptã, reperiri, vel æneis, vel ligneis tabulis inciſam, fortunæ varietate, aut cõditione temporũ exoleſcere, quod Romanis legib' vſu uenit, quib' plebs in vrbem reuocata, iterum atq; tertio ſeceſſit: ſed eã legem regi præſcriptã eſſe ſignificat; quam M. Tullius [8] rationẽ ſummam definiuit, inſitam in natura quæ iubet ea quę facienda ſunt prohibétq; contraria. Quam legem idem Tullius ſapientiam

[8] lib. 1. de legib.

appellat, adultam, perfectam, & confirmatam in ſapientis animo rationem, cuius communione cum diis, fit vt homines eorum gente & agnatione teneantur, eiuſdem cum illis ciuitatis habeantur, & vniuerſus hic mundus vna ciuitas communis deorum atque hominum exiſtimetur. Neque verò Ciceronem aut Plutarchum huius auctorem ſententiæ laudo, ſed Platonem vtriuſque magiſtrum, cuius illi perquam eleganter & eruditè interpretati ſunt ænigmata. Quid enim aliud ſibi volunt illa? nullam eſſe hominũ coniunctionem ſine lege: legem autem ad retinendos hominum cœtus efficacem & idoneam à Prometheo dari non potuiſſe, eóque Iouem ipſum communem omnium parentem cum lege ad homines cœlo demiſiſſe Mercurium, diuinæ voluntatis interpretem. Ne nunc igitur nobis tritam iuriſconſultorum vulgo cantilenam ingerito, *Digna vox eſt maieſtate regnantis legibus alligatum ſe principem profiteri.* Neque enim vox illa principem in ciuilium legum obſequium cogit. Theodoſius enim & Valentinianus, quanquam auguſta dominatione præditi, nec poſteris tamen imperij ſucceſſoribus, ac multo minus externis regibus legem dicere poterant, nec id animo præſumpſerant, [9] ſed id iis indicatum volebant

9 Gloſſ. in verb., indicamus.] ad D. L. digna vox C. de legib.

bant

bant,quod ſibi licere non patiebantur. Nec eò ſpectabant, vt cuiquam principi iugum legum imponerent, ſed vt poſteros admonerent officij,virtutis,& modeſtiæ, & altiſſimis radicibus illam,quam diximus,perfectæ rationis legem in animo defigerēt,quæ vult, Cæſari cum omnia licent, propter hoc minus ei licere,vt eſt apud Senecam. Rectius illi mehercule quam Caligula, qui monenti auiæ tanquam parum eſſet non obedire,memento,ait,omnia mihi,& in omnes licere.[10] Sed ipſe meminiſſe debuit mandatam à deo ſe iuriſdictionem exercere, non propriam: cui niſi probabilem adminiſtratæ prouinciæ rationem redderet, iis legibus obnoxiū eſſe, quæ non momentaneo, ſed æterno væcordiam atque tyrannidem ſupplicio vindicarent: eo naturæ voci,eò diuinæ legis imperio ſubmiſſiorem eſſe debere, quo minus hominum legibus addictus, in ſumma libertate vitam haberet, rebus omnibus ad voluntatē affluentibus: eò ſe legibus hominū ſolutum eſſe, quod ipſe ſibi cæteriſque lex eſſe deberet, nec tantùm ea præſtare, quibus cæteri mortales vel regia,vel populari, vel magnatum aliqua lege viuunt obligati,verùm & ea, & alia multo maiora, quæ quia ſcripta lege ſanciri non poſſunt,principem legibus ſupe-

10 Sueton. in Caligul.

V

riorem eſſe iuſſerunt. Quam enim anguſtà innocẽtia eſt, inquit ſtoicus, ille[11] ad legẽ bonum eſſe? quanto latius patet officiorum, quam iuris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iuſtitia, fides exigunt, quæ publicis tabulis conſignata non ſunt? Principem naturæ lex arctius habet quam cæteros mortales obligatum, quæ non tantùm illicitis abſtinere iubet, verũ & iis quæ leges humanæ licêre volunt.[12] Licere volunt omnia, quæ diſertè non ſunt inhibita. Leges enim honeſta plærúmq; ſuadent, quæ fieri tamen non imperant, nec renuentibus ſupplicia decernũt.[13] Princeps naturæ vocem audit grauiſſimè comminantem, ſi quid præter fas & æquum, quamuis lege permittente, deſignarit. Hæc enim numinis optimi maximi lex eſt, quę domat animorũ affectus extra metas rectæ rationis latius euagantes: quæ cupiditatibus frænum inijcit, temeritatem & audaciam coërcet, tyrannidem & inſolentiam compeſcit, inanes ſollicitudines depellit, honoris, imperij, pecuniæ contentiones ſedat, quarum rerum moderatio in principe firmiſſimum eſt publicæ vinculum incolumitatis. Hæc lex omnib⁹ hominibus vbiq; & eadem voce loquitur, non marmori, non aheneis tabulis, inſculpta, ſed in ipſorum animis pro-

11 lib. 2. de ira. cap. 27.

12 L. quidam iberus de ſerui. vrb. præd. L. 1. de his quę pœn. cauſ. rel. L. ſemper in cõiunct. de rit. nupt.

13 L. nec nõ. cum gloſſ. ex quib. cauſ. maior. L. 1. de teſtit. L. 1. de peric. & com. rei vend. §. ſi vxor. inſtit. de nupt.

fundiſſimè depacta, populum principi conciliat, principem deo. Siquidem

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iouis.

Nam ad imperij diuturnitatem maximi momenti res eſt, vulgo perſuaderi charum eſſe deo principem, & pietatis ac iuſtitię nomine commendatũ.[14] Alioqui ſi quid regno calamitatis ingruit, id regis tribuunt impietati, etiamſi vel in ipſo populo, vel in quouis alio culpa reſideat. Eóq; minus ſe dicto præbent audientes; nec niſi coacti ſubeunt imperia. Nam nec in gregibus, vt videmus, multę beſtiæ ducũtur ab vna, niſi paſtorem illa ſequatur: nec cœtus hominũ vni libenter obſequitur, qui nõ ducẽtis dei veſtigijs inſiſtat. Hæc igitur lex hominũ animis inſita, vinculũ eſt humanæ ſocietatis, quo ſoluto, ciues libertatem in libidinem, principes dignitatẽ in ſuperbiã vertit, ex qua re publici ſtatus euerſio naſcitur, numine ſui contẽptum vlciſcente. Quod eo magis horrendum eſt principi, quẽ cœleſtis imperij ſimilitudine rebus humanis præeſſe voluit deus, quod cùm ſuis decretis obnoxiam habeat infinitam populi multitudinem, ipſe non alia, quam iſta lege teneatur. Secum igitur ita loquatur, & excellentia dignitatis ſuæ triumphet.[15] Ego numinis in

14 Claud. Seſellius lib. 1. de repub. gal.

15 Senec. lib. 1. de clem.

terra vice fungor, ego vitæ necíſq; gentibus arbiter ſum, qualem quiſque ſortem ſtatumque habeat in mea manu poſitum eſt: quid cuique mortaliũ fortuna datum velit, id ore meo pronunciat: ex noſtro reſponſo luctus aut lætitię cauſas vrbes, prouincię, populi cõcipiunt: nulla pars vſquã niſi me volente propitióq; floret: hæc tot millia gladiorum quæ pax mea cõprimit, ad nutum meũ ſtringentur: quas nationes funditus exſcindi, quas tranſportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quæ ruant vrbes, quæ oriantur, mea iuriſdictio eſt: vna mihi ſummæ magnitudinis ſeruitus eſt, nõ poſſe fieri minorem: ſed cum diis communis iſta neceſſitas eſt. Ecquid in terris hac tanta rerum facultate magnificentius, ecquid diuinius excogitari poteſt? Quoties igitur animum ſubit iſta cogitatio, ac numen in terris tuũ intueris, non trades temet, tanquam pecudem, libidinibus conſtringendum: non profanabis indigna voluptate diuinum in terris imperium: non affliges humi cæleſtis particulam auræ: ſed ipſe te tuæ diuinitatis eriges intuitu: talem te ciuibus exhibebis, qualem tibi velis eſſe deum, & ea quæ magna videntur cęteris hominibus, dignitate tua ſemper inferiora putabis: ſic terrena moderaberis, vt Deus cæleſtia, qui beneficus

in omnes,nihil à quoquam niſi mutuũ amorem,beneuolẽtiam,fidem,& obſequiũ petit: nocere,lædere,male de quoquam mereri nõ poteſt,niſi quis de ſe ipſe male mereatur. Salutarem eius potentiam agnoſcimus ac reueremur,cui⁹ & te participem eſſe voluit,vt popularium tuorũ reuerentia & amore colare. Neque verò tibi magis, quàm illi peſtiferam vim eſſe credimus, vt ad nocendum valeas. Omnium tibi poteſtaté eſſe non dubitamus, voluptatem eorũ duntaxat quæ rationis lege definita ſunt. *Nam vt fœlicitatis eſt tuæ, poſſe quantũ velis: ſic magnitudinis, velle quãtum poſſis.*

16 Qua ex re fit, vt cùm nihil à te crudeliter, inhumanè,barbarè, nihil auarè, ſordidè, nihil turpiter ac flagitioſè deſignari poſſe credamus, & ea imbuamur opinione, velle nihil principem niſi quod iuſtũ eſt,quod æquum, quod naturæ,quod legibus cõſentaneum, 17 vbi reſcripta vulgantur tuo nomine ſignata, vbi diplomata & edicta,quibus ſpecioſa præfatione popularibus iniuria fiat, quib⁹ aulici mercatores iuris ac legum nundinatione in necem pauperculæ plebis abutantur, fucum tibi factũ eſſe cõqueramur: nec tamen in maieſtatem tuã & numen à quo illa per fraudẽ extorquentur, ſed in impuras aulæ harpyias, iniquæ legis auctores, omni maledicentiæ

16 Plin. in panegyr.

17 L. ex facto. de vulg. & pup. ſubſt. L. 2. & vlt. C. ſi cont. ius vel vtil. pub. &c. L. vn. C. de petit bon. ſubl. L. ſi quando. C. de in off. teſtam.

genere debacchamur. Magiſtratus verò municipales ac palatini, quib⁹ id genus reſcriptorum executio mandatur, etiam de veritate precum inquirunt,[18] & ſi quid perperam, aut auarè decretum eſt, obreptũ eſſe regi pronũciant. Quod cùm faciunt, nulla illis controuerſia eſt, poſſit[19] nec ne huiuſmodi quidpiã imperare: de volũtate quærunt.[20] Quoniam enim animo præſumptam habent principis erga ſuos ciues humanitatẽ atq; beneuolentiam, eõ inuito ac nolente, contra publicam vtilitatem id imperatũ eſſe iudicãt. Quod eò dictum eſſe volo, ne quis putet magiſtratus auctoritati principis obſiſtere, cum reſcripta contra ius fas elicita refutant.[21] Quot enim & quantæ principũ religioni tenduntur inſidiæ? quot libelli mendaciſſimis referti precibus offerũtur? quam multa neſciis & inuitis in priuatorum iniuriam extorquentur? Nunquã enim vacat aula curculionibus, qui præclara ſpecie fiſcalis emolumenti, & regum & popularium corrodunt patrimonia, neq; ſacris vllis, neque profanis abſtinentes. Mentiuntur ſe principũ inferre ſcriniis, quæ ipſi principibus populóq; peritura in priuatos vſus ſubtiliſſimè conuertunt, & in charybdin illam congerunt, quæ, niſi deglutitis principum populique reliquiis, expleri non poteſt.

18 L. & ſi non. C. ſi contr. ius vel vtil. pub.

19 L. ſacrilegij C. de diuerſ. reſt. L. 2. C. de crim ſacril. & ibi DD.

20 Bald. ad L. 1. D. de conſtit. princ. & Zaſ. ead.

21 L. reſcripta. C. de precib. imp. off. L. iubemus. C. de ſacroſanct. eccle.

Charybdin aio? quæ cùm plena ſorbuit nauigia, tamẽ reiectare fertur naufragia, & cõtortas fundo rates Taurominitanis littorib⁹ exponere. Sed illi nouis quotidie technis, machinationibus & impoſturis ad ſe pauperum attrahunt bona, quaſi fiſco neceſſaria, quaſi regno conſulturi, quorum nulla fragmenta, nullas reliquias vel ſero victa faſtidio communis illa vorago vnquam reuomuit. Vt enim potu ſitis ægrorum accenditur, vt arentibus nõ obruitur ignis, ſed augetur, ita coactæ publica egeſtate diuitiæ, ieiunæ mẽtis acuunt auiditatem, & parta parandi rabiẽ irritant. At verò dum in regno depopulãdo ſic impij prædones occupantur, optimorum principum fama ſiniſtris omnium ſermonibus indigniſſimè laborat, aliis ipſorum rapacitatem execrãtibus, aliis magiſtratuum criminantibus inertiam & nequitiam, aliis clã, aliis palam tyrannidi peſtem & exitium interminantibus. Nam &

ſpoliatis arma ſuperſunt,

quãuis nefaria & deteſtãda, ſi regum ſanguine tingantur. Quænam igitur in hiſce rerum difficultatibus regiorum magiſtratuũ partes erunt? Prędonum explere libidinẽ, & auctoritatẽ curię furtiuis diplomatis interponere? an potius lenire populi furorem, odiis obuiã

ire, & periculum à capite principis amoliri? Hoc certè probi magiſtratus officium eſſe reor, omni ratione famã ſalutémq; principis tueri, nec maiorem aulæ prædonibus fidem adhibere, quam pſeudo prophetis, & malorũ geniorum oraculis, quę quamquam auctoritate numinis adumbrantur, de cuius infinita poteſtate dubitare fas non eſt, capi tamen ſe non patitur, nec à Deo miſſos credit, ſed cacodęmonas in angelos lucis transformatos. Hac ſpecie multi ſimul in omnes prouincias ab aula dimittuntur impoſtores: hac ſpecie ſex ſeptem eodem momento, eadem in vrbe prædones apparẽt cum reſcriptis, præ ſe nomen & auctoritatem regum ferentibus, de quorũ ditione, poteſtate, numine neutiquã boni diſputant ciues: quorum imperia, quãuis iniqua (modo ſuperiori non derogẽt imperio) reuerentur, & quanta poſſunt demiſſione ſui maxima, honore, obſequio, fide excipiunt. Sed cùm euidentem reſcriptorũ iniuriam, manifeſtam fraudem, ſplendidiſſima libellorum ſupplicum mẽdacia, & perſpicuã precum falſitatem intuentur, non poſſunt facilè ſibi perſuadere, quidquam id genus auctoritate regũ & imperio cõtineri. Nec magis improbos huiuſmodi quadruplatores in reipub. necẽ à principe miſſos credunt, quã

pſeudoprophetas in animarum exitiũ à deo. Ac tantùm abeſt, vt ea repulſa maieſtatẽ offendi, vt nulla re magis gratiam principum iniri putẽt: qui quidquid imperant, ſaluti publicæ (quæ ſuprema lex eſt) atq; religioni ſuæ cautum volunt. Eóque boni principes quoniam aulicorum importunitati plærumque reſiſti non poſſe videbant, ne quid tamẽ edicerent, ne quid diplomate mandarent, quod vel ſibi, vel populo fraudi eſſe poſſet, perpetua lege iudicibus earum rerum cognitionẽ attribuerunt,[22] vt ſi quid præter ius & æquũ erogatum eſſet ſupplicanti, non modò petitionis iniquæ vetarent effectum, verumetiã iuſto ſupplicio fucum eroganti factum vlciſcerentur. Quod ab Ægyptiorum regum inſtituto manaſſe videtur, qui ſolemniter à iudicibus ſtipulari ſolebant,[23] eóſq; conceptis verbis habere deuotos, ne dicto audiẽtes eſſent, ne ſuis morẽ vllum gererent imperiis, ſi quid aduerſum æquitati, religioni, legibus, moribꝰ, aut populariũ vtilitati iuberẽt. Eius inſtituti Lodoicum Galliarum monarcham, quẽ populi parentẽ appellamus, exactiſſimũ obſeruatorẽ fuiſſe didicimus, qui diſertè vetuit, ne ſibi crederetur imperãti quod in auguſto regni cõſilio prius non eſſet agitatum: néve regiorũ oraculorũ antiſtites & nomo-

22 Tot. tit. C. ſi cõtr. ius vel vtil. pub. & cõſtitutionibus Philippi pulcri. Caroli 7. & Lodoici 12.

23 Plutarc. in apopht.

phylax,quẽ cancellarium vocãt, diplomatis aliquid ſignaret, etiã ſibi quãtumuis obnixè petenti,quod aliter quã de conſilij ſententia dictatum eſſe videretur. Sciebat ille tutam non eſſe rerum innocentiã inter tot aulicas hirũdines, omni cura ſtudióque pauperculæ plebis tergoribus imminẽtes. Neq; tantùm ille,verũ & ſuperiores Galliæ reges, ne quid auarè,ne ſuperbè, ne quid tyrannicè cõmitterent, ſi quid grauioris momenti edicto indigeret,eius auctorem ac fundum fieri Pariſienſem ſenatum voluerunt: neque ſatis eſſe duxerũt aulicorum procerum ſuffragio rem probari,niſi in auguſto illo tribunali promulgaretur. Cui non modo ſupplendæ legis aut corrigendæ,ſed & reiiciendę poteſtatẽ contulerũt,ſi quid alicuiꝰ iniuria, ſi quid reipub. damno ſancitum eſſe videretur.Quare maieſtatem ſuam auguſtiorẽ fore temperamento ſupremæ ditionis,nedum ex ea quidquã derogatum iri iudicabant. Huius inſtituti ſectatores Angliæ Scotiæque reges,quamquã imperio mero, quamquam legibus ſoluta liberâque poteſtate rerum ſumma fruuntur, nihil niſi conſilio decernunt, eóq; demittũt imperij maieſtatẽ, vt ſi maioris negotij quid offeratur,id non tantùm in ſenatu,aut in aulicorum procerum cõclaui,ſed in quadrage-

ſimum diem indictis populi comitiis(quod; vt diximus, verbo Gallico parlamentum vocant) definiatur. Qua ratione fit, vt ſuo patrimonio contenti, nihil cuiquam eripiant: nõ ſibi, ſed patriæ regnent: populo non ad quæſtum, ſed ad cuſtodiam præſint: regum non oblatam ſibi prædam, ſed procurationem à numine mandatam credant: nullus magiſtratus, nullum officium, nullum ſacerdotium, nulla pars regij muneris, nulla pars publici miniſterij vænalis habeatur. Iudicibus, eorũque miniſteriis ex regio gazophylacio penduntur honoraria: nihil ob rem iudicatam ſalarij nomine à quoquam exigitur. Noua vectigalia, nouę præſtationes, noua tributa, popularium bonorum ſectiones quouis monſtro rariores ſub legitimis principibus apparuerunt. Nam & Maria Scotiæ regina, quam vos flagitioſè & perfidè, ne dicã ſceleratè ac impiè, tyrãnidis accuſatis, nihil vnquã ciuib' eripuit, nec vlla re damnari poteſt, niſi quod ſpurij conſilio atq; ſuaſu, vt ab ea populi ſtudiũ atq; beneuolentiã alienaret, regiũ patrimoniũ immẽſis largitionibus exhauſis, & dũ profuſa in omnes benignitate fortunam vincere, ac bene merẽdo cæleſtia imitari conatur, male merẽtiũ interceſſit inopiæ, & ſua egeſtate ditauit eos, qui beneficia ſcelere pẽſa

runt, nec ſatis eſſe duxerunt beneficiorũ memoriam extinguere, niſi bene meritæ vitam eriperent, famam perderent, honorem oblinerent, fortunas affligerent, dignitatem proſtituerent, nomen ex hominum memoria delerent. Illi verò ſimulátque per vim atque tyrannidem rerũ potiti ſunt, plus vno anno pecuniarum ciuibus expreſſerunt, quam trecentis antè legitimi principes imperauerant. Vidimus enim pauculis annis, aut verius menſibus; vt redactas in numerum dignitates, & principum cædes, exilia, paricidia miſſa faciamus, ſpoliatum ærarium, regiam gazam direptam, vniuerſam principis ſupellectilem deprædatam, ſummorum virorum bona publicata, capita diminuta, vitam ære taxatam: ſpolia prouinciarum, exuuias exulum, bona peremptorum in priuatas vnius homuncionis ædes comportari, vt eæ cuiuis intuenti, non magiſtratus, non ſummi ducis, non magni viri domicilium, ſed crudelis ac barbari latronis receptaculum eſſe viderentur. Toleranda prædonis auaritia fuiſſet, ſi male partis in alicuius vſum abuteretur: (ſi quæ male conſultorum principum vltima defenſio eſt) donandi gratia prædatus fuiſſet, ſi rapinarum inuidiam magnitudine munerum deprecari poſſet. Sed ille ſummam fœlicitatem non vtẽdi,

ſed habendi ac nocendi fine diſcernens, non tam vt quam plurimum quæreret, ſed vt nihil cuiquam reliqui faceret, in omnes vrbes, oppida, prouincias inſatiabili cupiditate graſſatus, neminem gratia, beneficio, munere, neminem prędæ portione ſibi deuinxit. Toleranda eſt habendi cupiditas, quæ ſuffoſſa tellure metallis inhiat: quæ latentia naturæ commoda in vſum arceſſit: quę parit innoxias nullo pauperiore diuitias. Sed illi ſordebat aurũ de montium venis, aut fluminum glareis erutum: purius illud erat, quod inuitis extuſum, quam quod induſtria quæſitum: quod dolentibus ereptum, quàm quod ingenio repertũ: quod ciuium lacrimę, quam quod aquæ fluminum abluiſſent: gratius auido pectori lucebat, quod ex cæſorum iugulis effoſſum eſſet, quam quod arrugia naturę liberalitate fudiſſet. Sed eum auctoris exitus, eum collega vindicem tyrannidis & inſolentiæ Nemeſin expertus, admonere debuit, ne quid auderet, quod legitimis etiam dominis iure ſuo faciẽtibus exitio fuit. Quamquam enim, vt antè diximus, perſonæ omnium fortunæque regibus addictæ, mancipio nexúque tenentur, quamquam cœleſtium imperiorum oracula vetant illis vim adferri, quamuis ſuperbę, crudeliter, auarè dominantibus, tamen vbi ſum-

mo iure cum popularibus agere, vbi durius imperia exequi cœperunt, vel omnium coniuratione, vel vnius manu priuatam iniuriam vlciſcentis, dederunt Nemeſi pœnas, & quamquam iniuſtè, quamquam irato ac vim deprecanti, iuſta numini ſupplicia perſoluerunt. Tragœdiarum exempla poëtæ ſuggeſſerunt illud, [24].

24 Iuuenal. ſatir. 10.

Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.

25 Alium ſui temporis docuit hiſtoria,

Claudian. de. 4. cōſ. Honor.

Indomitum nihil eſſe pio tutúmve nocenti.
Extruite immanes ſcopulos, attollite turres,
Cingite vos fluuiis, vaſtas opponite ſyluas,
Garganum Alpinis, Apenninúmque niualem.
Permixtis ſociate iugis, & rupibus Hæmum
Addite caucaſeis, inuoluite Pelion Oſſæ,
Non dabitis murum ſceleri, qui vindicat, ibit.
Omnia ſubſident meliori peruia cauſæ.

Non igitur iniuria Theodoſius Honorium filium hortabatur, ne licentiæ capi ſe patiatur illecebris,

Nec tam quid liceat, quam quid feciſſe decebit,

regnantis occurrat animo: comprimendos eſſe motus, coërcendum mentis impetum, vacandum animi perturbationibus: non fidēdum eſſe fortunæ, quæ vitri ſimilitudine quo ſplēdidior eſt, eo fragilior eſſe ſolet: eam de-

nique tenendam in imperio moderationem, quam in ſuo curſu ſolem obſeruare videmus, qui quo altius in zodiaco prouectus eſt, eo tardius incedit. Sic principes viri ſapienter inſtituti, quo fortunatiores ſunt, eo ſubmiſſius ſe gerunt, memores rerum humanarum, quæ plærumque.

tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Nimia ſegetem ſternit vbertas, nimia luxuries vitem enecat, ſurculi fructuum onere grauati rumpuntur, emoriuntur protinus arbores præter ſolitum fœcundæ, denique quod eſt apud poëtam,[26] 26 Lucan.

In ſe ſumma ruunt.

Hæc ſunt naturæ documēta, quibus humanę fœlicitatis moderatio, quibus tēperamentū ſummæ poteſtatis & imperii ſuadetur: quib⁹ principes non ſuis animis obſequi, ſed prudētiorū conſilio niti iubentur, alioqui non habituri in quos imperii vim exerceant, neceſſariam quidem reipub. ſed tamen impetu ſuo pernicioſam, & ſeſe confecturam niſi prudētia leniatur. Quod enim ſolis duplicem motum, violentum & naturalem, illum dierum noctiúmque, hunc annorum auctorem eſſe cōmenti ſunt aſtrologi, non paruā habet humanæ politiæ ſimilitudinem. Regum enim

ſuprema iuriſdictio diurni motus ac rapidi, prudentum conſilium, aut ſenatus auctoritas naturalis & annui præ ſe fert ſpeciem & imaginem. Nam niſi curſus hic ſolis naturæ conſentaneus illius impetum ſuſtineret, momento ſeſe præcipitaret, ac non modo quatuor anni temporum noctiúmque ac ne horarum quidem diſcrimina cerneremus, continuóque deficerent omnia, tellure nihil in vſum animantium editura. Sic niſi maieſtatis aciē ſenatus prudentia retunderet, niſi vim ſupremæ ditionis conſilio moraretur, in maxima rerũ confuſione vitam egeremus ſubito momento perituram. Sed quemadmodum ſphęra ſolis inferior impetum primi cœli non impedit omnino, nec eius agitationi directò ſe ſe opponit, ſe vltra citraque lineam, quam eclipticam vocant, obliquè reuoluitur, vt diſcretis anni temporibus, & æſtatis, brumæ, veris, autumni viciſſitudinibus, terrę fœcũditatem, vitam animantibus impertiatur: ſic ſenatus inferior principe, vt publici ſtatus incolumitatē cõſeruet ac tueatur, nõ omnino, non aperta vi ſupremę ditioni renititur per ſe pęcipiti ac metuendæ, ſed ſuauiter æquitatem æſtuantis inſinuat animo, rationúmque momentis efficit, vt ipſa ſe maieſtas ſuſtineat, in ſuam alioqui regnique perniciem ruitura.

Quod

Quod niſi Galliæ regibus in mentem veniſſet, ſe ſuáque legibus neutiquam addixiſſent nec id tot ſæculorum interuallo valere iuſſiſſent, vt maieſtatem imperii, legum poteſtatem, & regiæ dignitatis vim omnem ſenatus ſui iudicio ſubmitterent. Qua ratione factum eſt, vt nullus omnium odioſo tyranni vocabulo per hominum ora reducatur. Sed & id in eo regno magis admirandum eſſe videtur, neminem ſanctioris conſilii, neminem auguſti ſenatus maiorum noſtrorum memoria repertum, qui regum cupiditatibus ſeſe fautorem exhiberet, qui ſe iniquioris imperii miniſtrum ingereret, qui vel honoris, vel priuati compendii ſpe & opinione cæcus ambiret in aula prouinciam, qua in populi necem abuteretur. Quæ res hoc ſæculo peſtem rebus & interitum minatur.. Nā quod olim peſſimi quique refugiebant, ne quid in patriæ detrimentum, ne quid in popularium iniuriam moliri viderentur, id hodie non à regibus, ſed ab aulicis hirundinibus ambitioſè petunt auguſtorum tribunalium viri, qui officii ſimulatione pauperculam plebem exhauriunt, poſſeſſionibus euertunt, & egeſtate, inopia, deſperatione rerum ad ſuſpendium adigunt, ipſi ſuſpendio digniſſimi. Quę res multitudini claſſicum ſonat ad rebellio-

nem & perfidiam, populariũ in reges odiũ concitat, quanquam innocentes, & ignaros eorum quæ geruntur. Quid ſi regem haberent id genus harpyiæ ſuis conſiliis obſequentem, qui iura negaret ſibi nata, qui quod libêret licere putaret? peſſimè regi, peius populo conſuleretur. Quos enim naturæ pudor, quos muneris publici reuerentia, quos ſplendida & in ciuium oculis poſita vitæ conditio, quos natalis amor ſoli, quos diuinæ conſcientia vindictæ deterrere deberet, ne peſſimis regibus malarum cupiditatum adminiſtri eſſe velint, ij ſeſe peſſimarum cupiditatum optimis regibus auctores obtrudere non erubeſcunt.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Quanto iſti interuallo à maiorum integritate receſſerunt? Lodoicus vndecimus ſupremæ Pariſienſium curiæ maiorem in modum ſuccenſuit, multa comminatus, quod edicta quædam repuliſſet, quæ ipſorum religio, quæ reipubl. ſalus promulgare non ſinebat. Nulla mora; purpuram induunt, regem adeunt, cum eo de minis expoſtulant, purpuram cum faſcibus ac regni cura parati reſignare, ſi quid ipſorum aſſentione, conſilio, auctoritate

probatũ vellet, quod rationi, quod iuri, quod æquitati contrarium, mentes omniũ religione, & curiæ conſcientiam obligaret. Ille quãquam neceſſario reipub. tẽpore videbatur æqua petere, vinci tamen ſe paſſus eſt, eorum laudata fide, qui non vt togata mancipia ceſſiſſent irati minis, ſed vt regni propugnatores ac fortiſſimi ſalutis regię publicæque vindices, iniquius imperanti reſtitiſſent: non vi, non tumultu publico, non armata ſeditione, ſed rectis & honeſtis admonitionibus, priuatam vitę conditionem publicæ præferentes, quam cum ordinis honore ac dignitate, quã conſcientia, quam religione ſalua tueri non poſſent. Quæ res illi Gallorum regum (verbo abſit inuidia) prudentiſſimo, tantæ voluptati fuit, vt in ipſorum conſpectu reſcindi iuſſerit edicta, quæ per fas, nefas publicata volebat: & eorum conſtantiã, integritatem, fidem admiratus, ſanctiſſimè receperit ex eo tempore nihil ſenatui mandaturum ſe nihil imperaturum, niſi quod legibus, quod moribus, quod rationi, quod æquitati reſponderet: quod laudatione curiæ, quod auctore ſenatu dignum eſſe videretur. Quid ſi in purpuratas harpyias incidiſſet, quę legem ferre volenti nihil auctoritatem curiæ morandam eſſe conſuluiſſent? quæ ſine ſenatuſconſulto ſeſe regis

libidini ſatisfacturas obtuliſſent? Nullum in hæc ſæcula de maieſtate regum, de ſenatus auctoritate, de populi ſtatu diſputandi locum reliquiſſent. Eodem fortè Galliæ regnum, quo Romanum fato corruiſſet, eadem Lodoïcum fortuna, quæ Tarquiniũ excepiſſet. Is enim quo tyrannidi liberius vacaret, & inceſtis cupiditatibus operaretur, ſenatum abolere decreuerat, [28] quem ſuperiores principes quaſi pædagogum reuereri conſueuerãt. Sed nihilo fœlicius Caligula, Nero, Domitianus, Commodus, Baſſianus, Maximinus, & id genus imperatorum monſtrà regnarũt, qui ſacrum imperii conſilium deſpectui habuerunt: qui auguſtæ curiæ patrum alios ordine mouerunt, alios fortunis, alios exilio multarunt, alios gladio, alios veneno ſuſtulerunt, prout ſuſpectum cuiuſque tyrannidi fidem, grauitatem, & innocentiam habuerunt. Sed ecquis horum temeritatis & inſolentiæ pœnas euaſit? Xerces Græciæ bellum illaturus, in procerum concilio hunc in módum fertur eſſe concionatus: huc vos coactos volui, ne quid temerè, ne quid inconſulto viderer aggredi, non vt veſtris opinionibus atque ſentẽtiis acquieſcerem. Sed & hic arrogantiæ ſupplicium luit turpi fuga, tot amiſſis hominum millibus, quot telluris am-

28 Tit. Liu. lib. 1.

bitu vix continerì poſſe videbantur. Nam ab iſto, vt eſt apud poetam, [29]

creditur olim [29] Iuuenal. ſat. 10.
Velificatus Athos, & quidquid Græcia mēdax
Audet in hiſtoria, conſtratum claſsibus iiſdem
Suppoſitúmque rotis ſolidū mare, creditur altos
Defeciſſe amnes, epotáque flumina Medo
Prandente, & madidis cătat quæ Soſtratus *alis.*
Ille tamen qualis rediit Salamine *relicta?*
Nempe vna naue, cruentis
Fluctibus, ac tarda per denſa cadauera prora.

Sed vt horum imperia ipſis peſtifera, reipub. fatalia fuere: ſic Auguſti, Veſpaſiani, Titi, Traiani, Adriani, Antoninorum, Theodoſij dominationem, ipſis honori, ciuibus ſaluti fuiſſe didicimus, qui non modò publicas, ſed ne priuatas quidem rationes inconſulto ſenatu definiebant. [30] In quo non quaſi rerum monarchæ pro imperio & poteſtate quidquam ex aulicorum ſententia ſtatuebant, ſed quaſi conſilii præſides curiæ ſuffragia numerabant, & quod pluribus placuiſſet, id lege cautum, id maieſtate ſua ratum, id fixum, ſtabile, ſanctum fore pronunciabant. Hac regnandi fœlicitate, hac ſummorum principum gloria, quam nulla poſteritas ex hominum animis euellet, permoti Galliæ reges eam ſupremi ſenatus au-

[13] Dio. Sueton. Xiphilin *Iul.* Capitolin Plin. in panegyr. Traian. Pacat. in paneg. Theodoſ.

ctoritatem eſſe voluerunt, quæ frænum cupiditatibus ſuis iniiceret, ſi quid temerè, ſi quid ſuperbè, ſi quid auarè in animum inducerent. Qua ratione factum eſt, vt populum ſemper habuerint imperiis ſuis obſequentiſſimum, neminem contumacem ac refractarium, niſi quem immoderata benignitate ſupra communem hominum conditionem extuliſſent. Nam, vt eſt apud Stoicum: [31] Illius demum magnitudo ſtabilis fundatáque eſt, quem omnes tam pro ſe, quam ſupra ſe eſſe ſciunt: cuius curam excubare pro ſalute ſingulorum atque vniuerſorũ quotidie experiuntur: quo procedente, non tanquam malũ aliquod aut noxium animal è cubili proſiliret, diffugiunt, ſed tanquam ad clarum ac beneficum ſydus certatim aduolant, obiicere ſe pro illo mucronibus inſidiantiũ paratiſſimi, & ſubſternere corpora ſua ſi per ſtragem illi humanam iter ad ſalutem ſtruendum ſit. Somnum eius nocturnis excubiis muniunt, latera obiecti circũfuſique defendunt, incurrentibus periculis ſe opponũt. Suam enim incolumitatem amant, cum pro vno homine denas legiones in aciem deducunt, cum in prima fronte procurrunt, & aduerſa vulneribus pectora ferunt, ne principis ſui ſigna vertantur. Quid igitur? inquies.

31 lib. 1. de clement.

Tu Galliæ reges, tu Mariam Scotiæ reginam non modò tyrannide, verumetiam ſuſpicione tyrannidis abſoluis, quorum fortunas atque vitam populus omnibus machinationibus oppugnat? Non vides moliri quotidie Gallos, quod iampridem Scoti perfecerunt? Quin potius ipſe non vides nihil hodie tentare Gallos nihil olim molitos eſſe Scotos, quod in læſæ maieſtatis ſuſpicionē incurrat: populū eius criminis immunem falſò damnari: falſò multitudini ſcelus obijci paucorū rebellione, perfidia, tyrānide conflatū, quos populi definitione contineri iuris & æquitatio non ſinit. Neq; enim, vt ait, M. Tullius, [32] 32 lib. 3. de rep.
omnis cætus multitudinis populi vocabulo deſignatur, ſed is tantùm cœtus, quem iuris cōſenſus, & vtilitatis cōmunio ſociauit. Cum igitur pauculi prædones, qui nullo iuris conſenſu coëunt, nulla vtilitatum communione coaleſcūt, ſed ad latrocinia, prędā, rapinas inuitati, à cœtera multitudine deſciſcūt, appellatione populi cenſetur, magna certè populo fit iniuria, in cuius opprobriū, dedecus, infamiam ac turpitudinem proditorū flagitia redundant. Rectè igitur idem Tullius ſceleratā hanc perfidamq; multitudinē, hunc impiorum hominū cœtum, non populi, ſed tyranni vocabulo definiri iubet. Quocirca cùm

Gallorum,cùm Scotorum vrbes omnes prouinciæq; ſemper in fide manſerint,ac etiamnum hodie,quidquid tyranni machinentur, in officio, amore, atque beneuolentia principum conquieſcant, nec populi maieſtatis, nec principes tyrannidis argui iure vllo poſſunt:in pauculos illos ſcelerum omnium vertatur infamia,qui prædæ, qui latrocinij ciuilis ſpe & opinione,inciuiliter à populo,inciuilius à rege defecerunt. Sed ne principum ſtudio vera diſſimulemus, graue dictu eſt, ſed dicẽdum tamen, malorum omnium cauſam & originem in ipſorũ perſona conſiſtere,qui quos ſemel ex animo complectũtur,eos non conſilio,non auctoritate ſenatus,ſed iudicio ſuo, & amoris ardore quodam incõſiderato ita ſibi demereri ſtudent, vt immenſis largitionibus nullum neque finem, neq; modum ſtatuant, neque priuato, neque publico parcant,quoad regali faſtigio penè pares effecerint. Ita populus quaſi multis regibus obnoxius,& cui potiſſimum ſeruiat ignarus, quoniam ad hos, quam ad illos facilior acceſſus patet emolumenti ſpe vinci ſe patitur, noua miratur, & quod Pompeium Syllæ reſpondiſſe legimus, Orientem potius ſolem quam Occidentem adorat. Illi verò vbi maiore ſupra vulgus hominum,quam infra principem

interuallo, fortunam ſuam eminere vident, vt eſt natura mortaliũ auida imperii, honorũ inſolentiam, diuitiarum magnitudinem, obſequium populi, copias, opes, potentiam, fœlicitatémque ſuam ferre non poſſunt: ſed eos ſui pœnitet, quòd fortunã reuerẽter habere, quòd tantæ fœlicitatis auctorem agnoſcere, quòd ſuperiorẽ intueri cogantur. Vbi verò ſumma omnia conſecuti ſunt, vbi eò rerum euecti, vt altius nihil inueniri queat, tum demum multo magis indignãtur, inuidia rumpuntur, eſſe aliquẽ potentię ſuæ parem. Itaq; ſtruuntur regibus inſidiæ, vocantur ad pilea ſerui, ciuium bona vexantur, popul' principi deuotus omni genere crudelitatis exercetur, quoad illi vel ſoli regnent per tyrãnidem rerum ſumma potiti: vel in numerũ redacti, cũ coniurationum architectis & fautoribus vel morte, vel exilio iuſta legibus ſupplicia luerint. Vtinam apud Turcas, aut Indos extarẽt iſtarum rerum documenta, quę noſtræ calamitates, quæ quotidianæ Chriſtianorum tragœdię poſteris ſæculis cum auctorum ignominia ſunt proditoræ. Sed vt externa ſilentio teneamus, Maria Scotię regina ſecura periculi regnare potuiſſet, ac fortunæ laqueum mandare, ſi nihil ſpurio niſi de conſilij ſententia donaſſet: ſi Andreapolitani cœnobij

repagulis tenuiſſet incluſum, nec cõmiſiſſet, vt vllã reipub. partẽ attingeret. Quod Iacobo regi ſemper animo propoſitũ, fixũ & conſtitutum fuerat; qui nothos ſuos, cum primũ per ætatem poſſent, ſacris ordinibus initiari voluit, vt deo ſacrati ac deuoti laïcorũ munerum functionibus arcerentur. Prȩſagiebat animo, quod magna regni clade, quod reipub. ruina periclitati ſumus, fore, ſi ad profanorum iis magiſtratuum & honorum gradus via pateret, vt tandem aliquando cum legitimis liberis in regni contentionem venirent. Sed illa monaſterij clauſtra reſerauit apoſtatæ, cucullum ademit, funeſtis nuptiis auctoritatem ſuam interpoſuit, quas neq; diuino, neque humano iure vllo coïre potuiſſe non ignorabat. Interea religioſus homo ſcilicet ac pius relicto numine, poſſeſſiones tamen numini dicatas ſibi retinuit, quas cõtra pacti conuenti religionem deluſa virgine, corruptis tabulis, auctoritatibus & inſtrumẽtis, ac ſuo nomine repletis, Buchanani comitis hȩreditate cumulauerat. Regina verò, ne fratris ad regni ſummam graſſantis libidini deeſſet, ne parum benefica, ne dicam prodiga, videretur, tranſcriptis in eum Marriæ Morauiæq; prouinciis, auxit ambitionẽ & inſolentiam: ac præter eas collatis in perfidum caput au-

guſtiſſimis honoribus, eò tyrannũ dignitatis euexit, vt ſaluo imperio fortuna vlterius ire nõ potuerit. Quidquid ille decreuiſſet, id illa ratũ facere: quidquid ille rationibus ſuis addidiſſet, id illa ſibi acceptum habere: quidquid erogaſſet expẽſum ferre: quidquid imperaſſet, quidquid vetuiſſet, ſuum illi nomen commodare: nihil denique vel publicè, vel priuatim agere, quod illo auctore non procederet. Soli permiſſum, quos vellet, magiſtratus creare: quos vellet, abrogare: quos vellet, in arcanum regni cõſilium admittere: quæuis deniq; ciuis reipub. munera conferre. Ita ſolus in regno triũphabat, & auguſtior eius quàm iuſtæ principis auctoritas habebatur. Quid inde? quò tandem euaſit? Auito ſolio principem exturbauit, regno eiecit, imperij faſces arripuit. Si fratrem modò quanquam ſpurium & incerto patre natum, ac nõ etiam Douglaſium Mortonium, iſta facilitas complexa fuiſſet, excuſationi locum ac veniæ relinqueret. Nam in hunc quoque reginæ profuſa benignitas, ſibi regnóque fraudi fuit. Illa perduellem, illa proditionis atque perfidiæ damnatum non modò bonis, famæ, priſtiniſque reſtituit honoribus, verùm & nouis auxit. Sed is inconſultæ principis humanitati meritam aſſiduo bello retulit

tiſſimus ille princeps animo negabat obſequium, nec ſuo iudicio fidere tutum eſſe putabat. Quam fœliciter ageret Scotię regina, ſi rebus olim ſecundis Auguſti principatum animo propoſuiſſet, liberalitatem ſuam conſilio moderata, nec ſic optimæ laudem affectaſſet, vt maximæ nomen amitteret? Sed eā fortuna voluit eſſe regibus exemplo, vt in ea rerum maieſtate locati, quam illis mortaliū nemo iure poſſit inuidere, non tantùm diuinis imperiis ſe ſentiant obnoxios, ſed & frequētiſſima ſubeat animos fragilitatis humanæ recordatio, quæ nihil nec priuatim nec publicè niſi auctore ſenatu moliri, quæ nihil ingenio ſuo credere, quę bonorum ac ſapiētum omnibus in rebus conſilio frui iubeat. Eſt enim ea lex rectæ rationis, cui nihilo minus quam numinis imperio principes addicti ſunt: cui qui paruerunt, in ſumma vitam egerunt pacis & otij tranquillitate, nec ipſi cuiquam inferentes, nec à quoquam metuētes iniuriam.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM QVÆ IN HOC LIBRO continentur.

A

Bſalon religionis ſpecie regnum inuadit. 124.

Abdias Ieſabelis imperium aſpernatur. 258.

Achab cum liberis occiſus. 235.

Accuſatores iidem & rei. 32.

Accuſatores iidem & teſtes. 34.

Accuſatores Mariæ reginæ ex quo genere hominum conflati. 34.

Aconitum ſalutare, non tamen ſalubre. 44.

Adolphus imperator. 56.

Adulterium capitis pœna vindicatum. 39.

Aegyptij Scoticæ gentis auctores. 180.

Aegyptiorum regum inſtitutum in iudiciis ordinandis. 320.

Aegyptiorum reges poſt mortem accuſatoribus obnoxij. 199.

Aegyptiorum reges legibus addicti. 88.

Aequalitas ſumma in populari imperio. 97.

Aequum eſt quod à rege præſcribitur. 100.

Aeſymnetæ. 144.

Aeſopi vulpes abſciſſa cauda. 4.

Aethiopiæ rex. 70.

Ageſilaus multatus quod charus eſſet ciuibus. 97.

Alaricus Gothorum rex. 104.

Aliud ſceptrum, aliud plectrum. 19.

Aliud principatus, aliud regnum. 52.

Aliud regum, aliud legum imperium. 93.

Aliud eſt regibus non parere, aliud hoſtiliter eos inuadere. 259.

Alcorani deliria. 253.

Alexander magnus Aſiam diuidere recuſat. 293.

Ambroſius Theodoſium templo excludit. 260.

Amalecites interfectus qui mendacio ſe iactauerat regem occidiſſe. 235.

Amici vitia ſi feras, facies tua. 17.
Ambiorix Eburonũ princeps. 54.
Americæ per Carolum 5. ſubiugatæ lex impoſita. 69.
Angli reginæ Scotorum agnoſcunt innocentiã damnata cõiuratorum perfidia. 28.36.
Anglorum ope Scoti prædones de bonis triumphant. 207.
Angliæ Regina ſucceſſorem nominare iuſſa, recuſat. 212.
Angli Scotorum mercatorum prædones. 245.
Auguſta innocentia eſt ad legem bonum eſſe. 306.
Anguſia vnde dicta. 269.
Antonius fiſco nunquam fauit. 264.
Antoninus & Geta fratres. 293.
Antonius, Lepidus & Octauius Romanum imperium partiti. 167.
Apolline relicto Mercurium ſequi. 19.
Apes amiſſo rege inſaniunt. 248.
Appius Claudius iniquus legis interpres. 119.
Argadi philarchos non eligunt. 182.
Argadiæ comes magnus Scotiæ iuſtitiarius. 275.
Ariſtoteles reprehenſus à doctis. 145.
Arithmetica proportio in contractibus. 91.
Arius quæſita regna omnium prima. 64.
Arcadius templo excluſus. 260.
Aſiæ populi omnium humaniſsimi. 63.229.
Aſiæ populi ſeruilis ingenij. 229.
Aſiæ reges legitimi. ibid.
Aſcanius in tutela matris. 178.
Aſina Balaam locuta. 258.
Athenienſibus regia dominatio ſalutaris anarchia peremit eorum inconſtantia in ordinanda repub. 165.
Atholiæ nomen vnde. 268.
Auaritia Miniſtrorum, & vnde. 5.
Auaritia plerosque minimè malos ad Caluini hæreſin adegit. 6.
Auguſtus lege ſoluendum ſe curat, vt donet. 340.
Auguſtus viginti ſenatores ſelegi domeſtico conſilio. ibidem.

Aulæ prædones pſeudoprophetis comparati. 39.
Aulici mercatores edictorum. 317.
Aulici fœneratores, harpyiæ. 227.
Aulici homines virtutis inimici. 186.
Authoritas quid. 107.

B

Babylonica monarchia omnium prima. 65.
Balaam aſina loquitur. 258.
Ballioli fœdus cum Anglis. 28. eius poſteritas. 36. à nobilitate Scotica reiectus. 183. ſpōte ſe abdicat imperio, 184.
Baiardus Gallicarum copiarum præfectus. 116.
Barbariſmi & ſolœciſmi aulæ. 28.
Barbarorū eſſe reges habere ſucceßione. 63.
Bargulus Illyricus latro. 90.
Baroniæ vnde dictæ. 270.
Bartoli legatio. 114.
Bellum & latrocinium quo differunt. 70.
Belliſarius. 156.
Boni viri ad iraſcendum faciles. 143.
Bouis ænei cuſtodia. 97.
Bruſij & Ballioli controuerſia regno peſtifera. 67. 164. eius cū rege Galliæ fœdus. 68. Anglo debellato regnum Scotiæ recuperat. 67. 164. eius lex de iure regni deficiente ſtirpe regia. 68.
Brigantes qui. 269.
Britanni Scotorum hoſtes. 157. Scotiam & Pictiam occupant. 161.
Buchananus nouas regni leges in diſcipuli necem excogitat. 19. 26. eius magiſterium diſcipulis fatale. 19. temeritas & inſcitia. 26. impudentia. 27. Spurio regnum affectat. 27. 154. In Anglia cū perduellibus reginā accuſat. 28. 49. Eius dialogus de regno, rebellium defenſionē continet. 30. 48. in dialecticis ignorātia. 234. fallax inductio, ſiue ſorites. 288 Nothi ſtudium. 148.

C

Cæſaris dictatura ſeditionum remedium. 167.
Caligulæ vox inſana. 305. iniuſtè caſus. 42.
Caluiniſtæ regum hoſtes, & omnis politias inimici. 1. eorum cōmentum ad auaritiam incontinentiámque ſuam propugnandā. 3. eorum cœtus non eccleſiæ, ſed congre

congregationis nouum nomẽ affectat. 6. ex quo genere hominũ conflatus. 6. eorum commentum ad nobilitatem in ordinem cogẽdam. 10. Hiſpani regis filio paricidium perſuaſerunt. 122.
Caluiniſtæ omniũ in orbe Chriſtiano malorum auctores. ibid.
iis Chriſti crux inuiſa. 156.
Carolus quartus imperator. 114.
Caroli quinti edictum parta America. 69.
Caroli ſexti regis animi morbus. 176. Idem auctor vt mulierũ teſtimonium admitteretur in iudiciis. 213.
Carolus ſeptimus proſcriptus, & exhæredatus opera regis Angliæ 74. Idem filium natu maiorẽ exhæredare cogitat. 74.
Carolus octauus. 178.
Carolus nonus. 189.
Carnificis & regis cõparatio per Buchananum. 236. diſsimilitudo. 237.
Caſsius Chærea Caligulæ percuſſor. 43.
Caſsiodorus. 170.
Cathedra marmorea Scotorum regum. 270.
Catheneſsia vnde dicta. 269.
Catholici principum ſtudioſi. 15.
Cauillationis natura. 282.
Celtilus Galliæ princeps. 55.
Ceremoniæ in primo regum in ſingulas vrbes aduentu. 219.
Cham Diris damnatus. 257.
Childerico regnum abrogatum. 195.
Chilpericus rex Francorum. 22.
Chriſtianorum patientia. 123.
Chriſtianorum arma lacrymæ. 253. eorum eſt iniurias ferre, non vlciſci. 235. impiis magiſtratibus militant. 246. calumniis appetiti quod eſſent rebelles. 246.
Chriſtus impiis magiſtratibus obſequitur. 235.
Chriſtus virtute miraculorum, Mahumedes vi armorum vicit. 253.
Chriſtiernus rex Cimbrorum. 194. 198.
Cicero popularem reipub. formã probat. 89.
Cimbri cũ Lubecenſibus aduerſus reges ſuos fœdus ineũt. 198
Ciuitas ſine magiſtratibus eſſe non poteſt. 93.
Ciuitates habentur loco priuatorum. 110.
Ciuitatibus ſua fata ſunt, vt & hominibus. 81.

Clemētia nimia crudelitas eſt 49
Clauſula derogatoria principum reſcriptis addi ſolita. 113.
Cleomenes. 177.
Claudius Cæſar iudicibus aßidebat. 280.
Clotharius primus. 272.
Collegiorum & corporum ſtatuta nulla ſunt niſi principis au ctoritate nitantur. 111.
Comitia centuriata. 150.
Comitia populi qualia. 210.
Comitiorum ceremoniæ apud Scotos. 213.
Comites qui. 265.
Communio rerum litium ſeminarium. 293.
Commentum miniſtrorum ad abdicandum regem in gratiam ſpurij. 27.
Cōmentum miniſtrorū ad nobilitatē in ordinem cogendam. 10.
Coneſtabulus quis in gallia. 266
Conſilium regi neceſſariū. 320.
Conſulum Rom poteſtas, 135.
Conſuetudines à principe mutari poſſunt. 110.
Cōſtātinus regnū occupat. 162.
Conuentus iniuſſu principis agi non poſſunt. 211.
Corpus natura nihil agit. 296.
Creſus imperium diuidere prohibitus. 293.
Crimina legibus, non ſeueritate punienda. 31. ſine prouocatione iudicantur in Scotia. 276. quædam regis cognitioni reſeruātur. ibid. In criminibus iudicandis populi Rom. ſolennia. 32.
Crux humanæ redēptionis ſignū Caluinolatris inuiſum. 156.
Culeni, Eueni, Ferchardi nullo iure cæſi. 190.
Cuiacius. 264.
Curatores dati regibus. 177. 180
Curatores pupillorum, furioſorū & prodigorum. 176.
Curiā ſupremā cauſarū ciuilium quis inſtituit in Scotia. 275.

D

Daniel in impios reges fidelis. 235. Aſſyrij regis imperio reluctatur. 260. Priuatus iudices falſi teſtimonij condemnat. 260.
Dauid Saulem agnoſcit dominū quanquā eius imperio ſolutus. 234.
Deioces Medus. 90.
Deſuetudine lex abrogatur, vt conſuetudo lege. 76. 110.
Deus poteſtatis oīs auctor. 191.
Deo magis obediendum, quam hominibus. 358.
Deum vnum eſſe vnde collegerunt philoſophi. 288.
Diæreſeis ac metaphoræ figuræ in

regno periculoſa. 24.
Dictatorum & regum diſsimilitudo. 144.
Dictatura tyrannidis genus. 192.
Dionyſius tyrannus. 143.
Diuidi regnum non poteſt. 56.
Diuinarum legum & humanarum differentia. 110.
Diuinæ leges immutabiles. 252.
Doctrina exemplo vitæ firmanda. 237.
Dombaræ nomen vnde. 269. *cur diruta.* 270.
Dominorum accuſatores lege puniti. 35.
Inter dominum & familiã nullum ius. 96.
Domini clientibus non iurãt, ſed contrà. 215. 223.
Dominium directũ omniũ prædiorũ regum propriũ. 69. 270.
Domini ſuperioris prædiũ in cõmiſſum non cadit inferiori domino. 273.
Domitianus an iure cæſus. 42.
Donaldus tertius Scotiæ tyrannus. 158.
Donandi gratia prædantur principes. 334.
Doriæus ſapiens Cleomeni ſtulto poſtpoſitus in regno. 177.
Duces Venetorum capite multati. 55.
Duodecemuiri Scotorum abſente Balliolo. 184.

E.

Eccleſiæ bona laicis peſtifera. 7. *eius direptores fiſcũ diripiunt.* 8. *eccleſiaſticorum magiſtratuum hoſtes ijdem qui ciuilium.* ibid.
Eccleſia Romana oĩum ſanctarũ eccleſiarũ cap. 156. *Nõ erat.* 204.
Edoardus Anglus *arbiter inter* Bruſium & *Balliolum.* 164.
Eleuſina ſacra. 17.
Eliſabetha Angla *negat ordinibus ſucceſſorẽ ſibi nominare.* 212
Elgones vnde. 269.
Epheſij omnes morte digni. 71.
Ephori Lacedæmoniorũ. 54. *eorũ poteſtas.* 134. *Regibus nõ aſſurgebãt.* 134. *Reges creabant.* 283.
Epiſcopus vnius vxoris vir quomodo intelligatur. 226.
Epiſcopi regibus ex aduerſo reſpondent. 256. *ſacris interdicere poſſunt.* 260.
Erroris magiſter populus. 204.
Eſſentialis forma regni eſt iuriſdictio. 272. 274.
Etheocles & Polynices. 293.
Ethodius rex. 275.
Eueni, Culeni, Ferchardi nullo iure cæſi. 190.
Euenus indices inſtituit. 275.

Exhæredari legitimus regni ſucceſſor non poteſt. 72.
Executio nihil habet imperij, nec meri, nec mixti. 238.
Executio conſiſtit in mero facto. 239.
Exempla veteris teſtamenti non imitanda. 261.
Experientiã præcepta nõ pariũt, ſed temporis longinquitas. 82.
Externæ gentis imperia non ferenda. 250.

F

Farellus & Caluinus Geneuẽſes ad rebellionem prouocant. 13.
Faſces & lictores. 57.
Fatale marmorum regum Scotorum. 157. *in Angliam tranſlatum.* 164.
Felonia. 273.
fœmina regni procuratrix defũcto marito. 178.
Fœminæ à ferẽdo teſtimonio arcebantur. 213.
Ferdinandus Arragonius Nauarri ditionem occupat. 120.
Fergusſius primus Scotorum rex. 157. *ei regnum pactionè delatum, & iureiurando ei eiuſque liberis firmatũ.* ibid. *eius filius natu maior in exilio perit.* 161.
Feuda oĩa regno inhærent. 268.
Feudi legij dominus ſibi ius dicit. 264.
Feuda cenſentur in cuiuſque patrimonio. 179.
Fides & obſequium principi iuratur. 267.
Fideicommiſſum regnum. 160.
Fiſci nomen vnde. 270.
Fiſco non abſtinent eccleſiæ prædones. 8.
Fiſco nunquam fauit Antoninus. 264.
Flagitium quodque primũ gradus eſt ad proximum. 12.
Fœdus Gallorũ & Scotorũ. 68.
Fortuna vitri ſimilis, quod eò fragilius, quò ſplendidius. 318. *vbi ſumma fortuna, ibi ſumma poteſtas.* 137.
Frãcogallis Hotomanni. 14. 16.
Franciſcus Valeſius à Baiardo militia cingulum accipit. 116.
Francorum vetus lex de infantibus ad regnum vocandis. 178.
Furioſi parentibus ſuccedunt in regno. 176.
Furioſis cur dantur curatores. ibid.

G

Gabinia lex tabellaria. 72.
Galba Neronis percuſſor. 43.
Galli ſub regulis. 54. *eorum mo-*

narchia. 56. regni Scotici vindices & arbitri. 68. eorum nos in magiſtratibus confirmandis per defuncti regis ſucceſſorem. 114. Vetus lex de infantū ſucceßionibus in regno. 178. Regum per taſi propter negligentiam in officio. 197. lex antiqua ne victus litis expenſas ſolueret. 213.

Gallouidia vnde dicta. 269.

Gathelus Scoticæ gentis auctor. 66.

Gathelica lingua. ibid.

Geometrica proportio in deferēdis honoribus. 91.

Gethus Pictorum rex. 161.

Gildonis tyrannis à Claudiano deſcripta. 45.

Gathonis Siculi & Philoxeni ingluuies. 3.

Gorgo Cleomedis filia. 87.

Gnoſtici hæretici. 249.

Græci regum imperium transferunt in leges. 94. ignotum iis legis vocabulum. 98. corū æſymnetæ. 144.

Grauio vel graphio Germanis, quis. 265.

Gregorius auctor iuriſiurandi Scotorum regibus dum inaugurantur. 216.

Grimus regnum occupat. 162.

Gulielmi Normani edictum Angliæ regno in ſuam poteſtatem redacto. 69.

H

Henrici octaui Angliæ regis teſtamentum. 73.

Henricus Lucemburgius veneno ſublatus. 120.

Hæres dominum ſignificat. 72.

Hæretici regum inimici. 2. 13. eorum calliditas qua ſimplicibus hominibus obrepſerunt. 2. 3. auaritia, incontinentia. ibid. leges politicæ. 10. Opiniones ad humanæ ſocietatis interitum introducta. 11. Rebellionis auctores & perfidiæ. 13. auctores libellorum famoſorum. 14. ſacrilegia laudant. 20. oderunt maieſtatis & dominationis vocabula. 28.

Hermodorus Epheſius exulat ob virtutem. 71. 97.

Hiberni Scotorum gentiles. 157. eorum iuſiurandum per manū vel pedem principis. 223.

Hiſpaniā tenent Saraceni. 196.

Apud Homerum nuſquam legis vlla mentio. 98.

Homologus quid. 264.

Honoririus magiſtratus. 142.

Horatius perduellionis reus. 153.

Hoſtis & latro quò differāt. 70.

HotomanniFrancogallia.14.16.

I.

Iacobus.3.Scotorum rex.22.populi iudicio cæſus necne.185. eius virtutes.ibid.nimiū plebeis hominibus addictꝰ.186.interitus.188

Iacobus. 4. paricidij crimen remittit. 189. curiam ciuilium cauſarum inſtituit. 275.

Iacobi.5.conſilium de ſuis nothis intra clauſtra monaſteriorum coercendis. 337.

Iacobi nothi ingratus in ſororem animus. 338.

Ianus Galeatius primogenituræ legem accuſat. 74.

Ideæ Platonicæ. 82.

Ieſabelis imperium aſpernatur Abdias. 258.

Iehu interficit Achab regem imperio priuatum. 235.

Imperium Germanorum Cæſarum quale. 55.

Imperium maius à minore non rogatur. 61.257.

Imperia Turcarum ſeuera, non tamen tyrannica. 70.

Imperium legibus & armis cõtinetur. 85.

*Imperiū populare lõgè alia quam æconomica ratione inſtitutū.*96

Imperium legis virtus eſt. 98.

*Imperare ſibi nemo poteſt.*113.

Imperium regis eſſe multis rationibus probatur. 116.

Imperij ſummi notæ.ibid.& 135

Imperiū ſummū diuidi nequit. 286.133.

Imperium vnius ſeditionum remedium. 166.

Imperium res bona. 239.

Imperij ſocietas intolerabilis. 292.

Imperia paucorum fœliciora quã multorum. 32.

Imperia culpæ tribuitur. 77.

Inaugurandi reges an iurent populo. 213.215.222.

Infantes paterno regno ſuccedũt. 177.

Ingrati perduellium animi. 49.

Inſani parentibus ſuccedunt in regno. 175.

*Interdicto retinendæ poſſeßionis reges aduerſus pòpulū ſecuri.*57.

Interpretatio legis vim obtinet. 118.119.

Inimicos diligunt ſoli Chriſtiani. 256.

Iohannes Leidenſis rex anabaptiſtarum. 11.

Iohannes Auratus. 143.

Iohannis Fiſcheri Roffenſis epiſcopi virtus. 259.

Iudæorum reges à ciuibus non puniti. 191.
Iudæorum populus Chriſtũ crucifigendum clamat. 206. *eorũ poligamia.* 127.
Iudices apud Iudæos. 225. *regem petunt.* ibidem.
Iudicum & regum in ſacris diſtincta nomina. 228.
Iudicandi poteſtas omnis à regibus. 263. 279.
Iudices cauſa cognita de reſcriptis principũ pronunciant. 113.
Iudices obligati ne regum edictis pareant, niſi iuſtis. 113.
Iuetotij regnum. 273.
Iugurthæ dictũ de Roma. 298.
Iura regalia. 215.
Iulius.3. pontifex Rom. 129.
Iuris aut iniuriæ vocabulum nõ cadit in belluas. 168.
Iuriſdictio non eſt magiſtratuum propria. 139.
Iuriſdictionem quis regum mãdare cœperit. 275. *eam ſibi rex adimere nequit.* 273.
Ius naturale vbique ſui ſimile. 21.
Ius gentium. ibid.
Ius & iniuriam vulgus rerum euentus metitur. 42.
Ius primogenituræ mutari non poteſt. 73.
Iuſtitiæ fruendæ cauſa reges cõſtituti. 89.
Iuſiurandum magiſtratuum apud Gallos. 104.
Ius gentium cedit ciuili. 169.
Ius regis in libris regum. 226.
Iuſiurandum præ ſe fert reuerentiam eius cui iuratur. 215. *quid.* ibid.
Iuriſiurandi formula ex Plinio. 221. *per ſalutem principis.* 223. 247.
Iuſtinianum calumniatur Buchananus. 155.

K.

Kennethus Scotiam auxit Pictici regni acceſſione. 66. *in ſua familia regnum ſtabiliuit.* 157. *lex de liberis in paternum regnum aſſerendis.* 192. *eam Buchananus oppugnat.* 168.
Knoxij Miniſtri inceſta & inſana libido. 4. 128. *peruerſa interpretatio dogmatis apoſtolici de epiſcoporum monogamia.* 128.
Silicernium. 128.

L.

Lacedæmoniorum regum nomen inane. 134.
Laconicæ iuuentutis educatio. 115.

Latrunculator de vita cognoſcit, non de pecunia. 238.
Latronum leges. 90.
Leges regnorum per miniſtros excogitatæ. 10.27.
Legum metaplaſmi ac tropi periculoſi. 23.
Leges tanquam gladij in vagina reconditi. 25.
Leges medicamētorū ſimiles. 60.
Legiſlatio pars regij muneris. 60.
Legum ſumma poteſtas penes eū qui ſummam habet imperij. ibid. 98.115.
Leges tabellariæ. 72.
Leges menſurarum ſimiles. 81. 302.
Leges iuſtitiæ fruendæ cauſa cōſtitutæ. 89.
Leges prudentiæ ſunt, nō alicuius artis aut ſcientiæ. 81.
Leges antiquæ regni Scotici. 84.
Leges plurimæ corruptiſsima repub. 95.
Legiſlatio inter quos locum habet. 96.
Legis vocabulum Græcis ignotum. 98.
Initio rerū nullæ erāt leges. ibid.
Lex mutus magiſtratus. 99.
Legis definitio Rom. reip. conſentanea. 102.
Legum diuerſitas in eodem regno, & vnde. 108.
Lex quid. 105.
Leges municipales in ſcripta redacta. 110.
Leges municipales an mutari poſſint à principe. ibid.
Legem ſibi dicere nemo poteſt. 213.
Legumlatores legibus haud obligantur. 115.
Legis interpretatio lex eſt. 118.
Leges in futurum cauent. 141.
Leges mutabiles. 81. & 142.
Lex regia. 152.
Lex horrendi carminis. 153.
Leges inferiores ſuperiori parent. 170.
Leges regiæ Scotorum. 272.
Lex munus principis. 301.
Cui legi princeps obnoxius. ibid. & 302.
Leges plæraque patiuntur honeſtati contraria. 306.
Lentulo prætura abrogata. 94.
Legitima regna quæ. 131.
Lesbia regula. 141.
Legum nundinatores. 310.
Lex Plautia. 43.
Liberi populi. 92.
Libertas naturæ conſentanea. 70.

Libellus famoſus per Buchananum editus. 29.
Lindia ſacra. 130.
Litaniæ nõ faciẽdæ ſine cruce. 156
Licent omnia quæ non ſunt inhibita. 306.
Ludouicus Vndecimus ſenatui ſuccenſet. 322.
Ludouicus. 9. 178.
Ludouici 12. inſtitutum. 313. eius reſponſum. 75.
Locrenſium lex de legibus abrogandis, 25.
Lubecenſium & Cimbrorum fœdus. 98.
L. Philippus conſul à tribuno pleb. in carcerem miſſus. 136.
Lutherus Germanos ad arma prouocat aduerſus principem. 13.
Lycurgus imperium in populum transfert. 54.
Lydi duorum imperiũ recuſant. 293.

M.

Macolmus Scotiæ rex 162. eius largitio. 270.
Magiſtratus ciuiles auerſantur, qui eccleſiaſticos abrogarunt. 8.
Magiſtratuum faſces & lictores. 57.
Magiſtratus lex loquens. 99.
Magiſtratus legum ſerui. 100. eorum appellatione non continentur reges. ib. eorum iuſiurãdum apud Gallos. 104. eorum imperium nõ eſt merum. 139 In puniendo legum ſimiles eſſe debent. 148. inferior ſuperiori diſcedit. 246. 258.
Magiſtratus regii facti hæreditarii in Scotia. 266. Nulli in Anglia vel Scotia venales. 315.
Maieſtatis crimen eſt ſilentium in principis iniuria. 18.
Maieſtatis & dominationis vocabula miniſtris exoſa. 28
Maieſtatis crimen eſt principem vel populum peregrinis legibus obligare. 104.
Maieſtatis cognitionem ſibi reſeruat Ser. Tullius. 154.
Maiores à maioribus non iudicãdi. 241. 257.
Manaſſes & Ioſias pueri regnant. 178.
Mandatum imperium quo differt à mero. 137.
Mariæ Scotiæ Reginæ innocentiã agnoſcunt hoſtes. 28. eius accuſatores quales, 35. eius liberalitas. 47. 315. leuitas & clementia. 48. quo gradu diſtat à Ferguſio. 158. iurat ſe minimè mutaturam ſtatum religionis in

Scotia. 219.
M.Druſus Tribunuſpl. 136.
Matrimoniorum corruptela malorum ſeminarium. 4.
Maynus rex. 275.
Medici & regis comparatio refutata. 77.
Medorum iura. 70.
Medici imperitia punitur. 77.
Mercatores edictorum in plebis iniuriam. 309.
Meßias ex Iudaeorum regum ſobole, promittitur. 228.
Metaplaſmi ac tropi figurae in regno periculoſa. 23.
Milites Chriſtiani ſacrilego regi ſeruiunt. 246.
Miniſtrorũ auaritia. 5. *illuſio.* 9. *iis inuiſa nobilitas.* 10. *regnum affectant.* 11. *rebellionis auctores.* 13. 239. *commentum quo ſpuriũ ad regnũ promouerũt abdicato legitimo principe.* 27. *eorũ excõmunicatio.* 121. *vrbes Scotiae prodũt anglis.* 123. *tormẽtario puluere ciuitates euertũt.* 125. *bellum non appetunt niſi nefarium.* 126. *Polygamia.* 128. *conciones Calumniarum & maledicentiae plenae.* 129.
Monarchiae natura. 56.
Montani ſcoti. 182.
Moranus ſpurius pro legitimo ſe venditat, & regnum affectat. 33. 50.
Morania vnde dicta. 269.
Mortoni tyrãnis. 335. *Ingratus in principem animus.* 339.
Mortui principis edicta per ſucceſſorem confirmanda. 114.
Moſaicis legibus regi volunt Scoti. 220.
Municipales leges iuri publico non derogant. 110.
Muſicae mutatae poena. 24.
Mutatio legum periculoſa. 23.
Mutanda non ſunt quae certam interpretationem ſemper habuerunt. 76.

N.

Nabathaei diminuti patrimonii reos puniebant. 176. *Nabuchonodoſor dei miniſter appellatus quamuis impius.* 232.
Naſcendi conditio, non optio, regem facit. 182.
Nathalocus Argathelus rex. 158.
Naturae ius vbique idem. 21.
Naturae definitio male à Buchanano tradita. 58.
Natura mortalium auida imperii. 160.
Naturae lex, vim vi repelli. 168.

Naturalis legis definitio quomodo intelligenda. 169.
Naturam hominum oratione metimur, ibid.
Natura vetat cum aliena iactura locupletari. 170.
Naturæ lex immutabilis. 252.
Natura commenta eſt regem. 295.
Naturale vitium negligi quod communiter poßidetur. 292.
Nemo ſine virtute. 51.
Nembrodus regum primus.
Nero utiliter, ſed non iure cæſus 43.
Ninus Aßyriorum rex. 65.
Nobiles eccleſiaſtica prædia inuadunt. 7.
Nobilitatem miniſtri cogunt in ordinem. 10.
Nocendo ſanare. 43.
Nouatio fugienda in repub. 23.
Numa Pompilius iuſtitiæ fama regnum obtinuit. 90.
Numa & Amulius fratres. 293.
Nuptiæ iteratæ incontinentiã arguunt. 127.

O.

Obnixa fides quæ. 272.
Obſtetrices Ægyptiæ. 258.
Odium Buchanani aduerſus principem. 148.163.
Octingenta viri ſuperſtites ex tota Scotorũ Pictorúmque multitudine. 161.
Officia regia facta hæreditaria. 266.
Oleum quo ſacerdotes & reges vngebantur. 15.
Oligarchiæ adminiſtrantur iuxta mores eorum qui præſunt. 100.
Oldradus. 174.
Olympias liberorum tutrix in regno. 177.
Omnes magiſtratus à rege dependent. 265.
Omnia ſunt regis, quomodo intelligatur. 228.
Omnibus malis punicis ineſt granum putre. 51
Opinionum, non animorum diſſenſio. 17.
Oreſti regnum non ademit inſania. 177.
Ordinum iudicio Scotiæ regina condemnata. 208.
Ordines populi Chimeræ ſimiles. ibid.
Oriens ſol adoratur, nõ occidens. 336.

Oſtraciſmus. 96

P.

Pacis cauſa multa fiunt quæ legibus aduerſantur. 189.
Papa regẽ abdicare poteſt. 120. non ſubit inferiorum iudicia. 256. Rom. eccleſiæ caput. 204
Papiſtarum glorioſum nomen. 120.
Parlamentum apud anglos & Scotos quid. 210. 315.
Pariſienſis ſenatus edictorum regiorum auctor. 314.
Papinianus Caracallæ patrociniũ negat. 258.
Pauli vox de magiſtratuum obedientia quomodo intelligenda. 230.
Patronus clienti non iurat. 223
Perfidia inſignis coniuratorum. 33.
Perſarum æquitas in iudicando. 41. 51. inſtituta. 70. imperiũ ſorte partum. 71. quinque dierum iuſtitiũ mortuo rege. 248
Perſonæ omnium regibus obnoxiæ. 69.
Pertinax imperator. 264,
Peſsimi plures quàm boni. 204.
Perthum. 150.
Peruſina priuilegia confirmata. 114.
Petaliſmus. 97.
Petrus ab inferioribus obiurgatus. 261.
Philippus Macedo. 87.
Philoxeni gula. 3.
Philippus pulcher auctor curiæ Pariſiẽſis. 104. legem abrogat inconſultis ordinibus. 213.
Phinees cum Madianitide Creontem interficit. 261.
Phocion Athenienſis. 205.
Philarchi Scotorum. 278. legibus inhibiti. 183.
Picti Scotorum hoſtes. 259.
Pietate & iuſtitia retinetur imperium. 307.
Pilati more regem ſalutare. 26.
Pipinus in Childerici locum ſubrogatus, & quo iure, 120. 195.
Pittacus & Periander tyranni. 144.
Plebs imbuta Caluiniſmo libertatem in libidinem vertit. 7.
Plebiſcita pro legibus habita. 106.
Plebs direptioni ſemper expoſita. 174.
Plutonis apoſtoli. 156,
Polydorus & Theopompus. 54.
Pontifices Rom. tantum à deo iudicandi, niſi fuerint hæretici.

20.non occidendi, 203.
Populum Buchananus cur legibus & regibus ſuperiorem facit. 28.
Populus Scotus Reginæ ſemper adhæſit. 29.
Populus iuriſdictionis expers. 56 vi cogēdus in leges. 60. tyrãnidis auctor, & excellētiũ virorũ hoſtis. 71. egrè patitur aliquem vlla re excellere. 96. ei fræna laxare periculoſum. 196. regē abdicat fidei ſacramento ſolutus à pōtifice. 197. erroris magiſter. 204. vaſti cuiuſdã animalis ſimilis. 204. corpori cōparatur, rex animo. 296.
Populare imperium alia quam æconomica ratione conſtitutum 96. in eo ad æqualitatem omnia referuntur. 96.
Popularium comitiorum oratio. 210.
Popularis forma reipub. probatur Ciceroni. 93.
Portugalliæ regi datus curator. 180.
Præcepta mendicum faciunt, nō regem. 82. Non pariunt experientiam. 82.
Præſentia odimus, præterita veneramur. 166.
Præſcriptionis vis. 58. 171.
Pradones aulici legum nundinatores. 310.
Presbyter Ioannes. 70.
Primogenituræ ius immutabile. 73. 177.
Principis iniuria popularibus haud ferenda. 81.
De principis auctoritate diſputare ſacrilegum, de principibus haud temere iudicandum. 20. 51.
Princeps animata lex in terris. 96. vniuerſi populi perſonam ſuſtinet. 111. non tantum ſuis, ſed & alienis legibus ſolutus. 113. eius amiſſio magnum rei pub. vulnus. 247. vice patriæ colendus. 259. dei procurator & miniſter. 300. quibus legibus obnoxius. ibid. & 302. Dei vice fungitur in terris. 307.
Principes prædantur vt donent. 316.
Priuelegia ne irroganto, lex popularis Reipub. 146.
Priuilegia diuinis legibus contraria. 233.
Priuati publicas iniurias vlciſci non debent. 42.
Proditoris appellatione dominus

eximitur, & patronus etſi cliẽtem fefellit. 223.

Proprietas feudorum regis eſt. 268.

Prouinciæ quæ ſaluis legibus Ro. populo ſe dediderunt. 109.

Pueri regno ſecluſi. 159.

Puncta coronæ reſeruata. 276.

Q.

Qui peccare poteſt peccat min⁹. 80

Q. Fabius legibus ſolutus. 115

Q. Mutius Scæuola auctor Seruio Sulpitio iuriſprudẽtiæ capeſſendæ. 139.

R.

Rebellionis cauſa quæ. 336. *recuperatores.* 157.

Regum iidem hoſtes qui & ſacerdotum. 14.

Regum inauguratio. 15. *Lacedæmoniorum quales.* 54. *Scotorũ quales.* 58. *inuito populo leges imponunt.* 59.

Regis & medici comparatio. 59 *diſsimilitudo.* 77. *eum Plato non tantùm medico, ſed & domino comparat.* 79.

Rex nunquam moritur. 75. *demortui regis factum præſtare non tenetur.* 75.

Rex ranarum. 76. *Regibus non præſcribuntur leges, vt medicis.* 81.

Reges Scytharum ſuos diſtringũt equos. 87.

Reges *Aegyptiorũ addicti legibus.* 88. *iuſtitiæ fruendæ cauſa conſtituti.* 88. *quaſi dii inter homines.* 96. *non faciunt partem ciuitatis.* 97. *voluntas pro lege.* 98. *nomen Romanis inuiſum.* 100.

Reges noſtri Romanis legibus nõ ſunt obnoxii. 103. *nihil debent acceptum populo.* 105. *ſoli deo ſunt obnoxii.* 105. *non regum ſed regni ſunt hæredes.* 112. *Maiorum ſuorum conuentionibus haud obligãtur.* 75. 112. 113. *Lacedæmoniorum regũ liberi legibus ſoluti.* 115.

Reges naſcuntur equites. 116. *eorum conditio.* 133. *vt tyranni dicantur vnde factum* 146.

Regum & legum magna diſsimilitudo. 142. *nunquam in ius vocati.* 181. *vice patriæ colendi.* 194. *legibus obnoxij.* 198. *an iurent populo.* 215. *periuri ſunt ſi iurant in maiorum leges.* 217.

Regis & Papæ diſsimilitudo. 203.

Regum primi in ſingulas Vrbes aduentus quibus conſtent ceremoniis. 219. *iis non licet in populi facultates inuadere.* 226. *quẽadmodũ omnia dicãtur eſſe regũ.* 226. *imperia tolleranda quãuis in tyrannos degenerent.* 231. *obediendum etiã diſcolis.* 232. *ius iis non dicitur inuitis.* 262. 277. *ne Volentes qui dẽ criminis argui poſſunt.* 263 *Propriæ cauſæ iudices.* 264. 277. *nomen Romanis inuiſum.* 100.

Rex corporalis deus. 268. *eius nomẽ ſentẽtiis præfertur.* 263. *populo maior, dignior, ſuperiore* 283. *Mens & ſpiritus Vitalis imperii.* 296.

Reges interſunt grauioris momẽti iudiciis. 288. *magis obnoxii deo quã cæteri mortales.* 304.

Regũ imperiũ pluribus ſæculis Viguit in Græcia quã populare. 63. *ad excellẽtiũ Virorũ deſẽſionẽ aduerſus populũ interdictũ.* 7. 198. *Multos ciuiũ gradus agnoſcit.* 98. *Regii imperii notæ,* 116. 136. *mandari nõ poteſt.* 145.

Regia maieſtas ſenatus iudicio ſubmiſſa. 320.

Regnorum nouæ leges à miniſtris introductæ. 10. 27.

Regni natura qualis. 56. *Vtrum electione cõſtat an iure ſucceſſionis.* 62. *legis & naturæ donum.* 72. *lege defertur non hæreditario iure.* 75. *legitimus regni ſucceſſor exhæredari nõ poteſt.* 73. *nec donari, nec Vendi poteſt.* 73.

Regnorũ prima Vi parta. 64. *Vario iure quæſita.* 70. 71. 132.

Regnũ terrenum cæleſtis imago. 80. *œconomia eſt ciuitatis.* 96. *diuina res eſt.* 246.

Regna & oligarchiæ regũtur iuxta mores eorũ qui præſunt: democratia legibus regitur. 100. *diuidi non poſſunt* 133. *ſucceſſio in regnis Vtilitatis publicæ cauſa introducta.* 174. *generi non Virtuti debentur.* 175.

Religionis iidem qui regum hoſtes. 2. 13. *profanata.* 6.

Reſponſa prudentum à cæſaribus Vim legum accipiunt. 105.

Reſpublicæ fœliciores quæ paucioribus obnoxiæ. 297. *perditæ Vnius imperio reſtitutæ.* 298. *nullus earum interitus naturalis.* 394.

formas confundit Buchananus 193.nullum genus à veteribus ſapientibus inſtitui potuit perfectum & abſolutum.19. de repub.bene ſentire non poteſt,qui male ſentit de religione. 12.

Res & perſonæ popularium regibus obnoxiæ. 69.

Reſtitutiones in integrum dãtur cum cauſæ cognitione. 172. euaneſcunt tempore. 172.

Reuther. 161.

Robertus Bruſius auctor regiæ ſtirpis. 88.162.

Romanis legibus reges non ſunt obnoxii. 103.

Romani perpetua ſeditione turbati quoad imperium ad vnum rediit 166.

Romani pontifices legibus obnoxii.202.non tamen occidendi. 203.

Roßia vnde dicta. 269.

S.

Sacerdotum iidem hoſtes qui regum. 14.

Sacerdotum & regii vnctio.15

Sacerdotes imperia donãt. 121. iudicio ſanguinis ſe non immiſcent. 261.

Sacrilegia laudant hæretici. 20.

Sacrilegii pœna. 20.

Sacrorum adminiſtratio viliſſimis & indoctiſſimis permiſſa. 6.

Samuel rex legitimus. 226. 228. Regem occidit. 261.

Sanctorum inuocatio probata. 156.

Scoti eodem momento principis & numinis iugum excutiunt. 13.eorum monarchia. 56.aucta à Kennetho. 66.

Reginæ ſtruunt inſidias,abortũ procurãt,falſa crimina confingunt,principi ſtatus controuerſiam faciunt. 150.à Britannis & Pictis bello appetiti. 157.

Sarraceni vi tenent Hiſpaniam & Gallias. 196.

Scotorum lex regia. 158.162. Regum antiquitas. 158.in anglorum verba iurant. 163. Continuis bellis agiati. 158.

Scoti nunquam ſuffragiis regem elegerunt 159. Regum anglorum beneficiarii. 223. eorum imperium diuturnum. 299.

Scotiæ regnum non ſolum hæreditario iure,ſed etiam lege tenetur. 272.

Scytarum reges. 87.

Sedechiæ defectio ab impio rege damnata.

damnata. 235.
Seleuci dictum. 100. *Reſponſum à magis.* 71.
Senatus auctoritas. 314. 325. *Pariſienſis egregium facinus.* 322. *deprauatio in Gallia.* 321.
Senatuſconſultis cur principum nomen præferatur. 106. 107.
Senatuſconſultum in Enoxij gratiam. 128.
Senecæ dictum egregium. 256.
Sententiæ regum nomen præ ſe ferunt. 139.
Serui dominorum delatores gladio feriendi. 35.
Seruitus iuſta. 70.
Seruius Sulpitius. 139.
Seruius Tullius virtutis opinione regnum adeptus. 91. *leges ſanxit quibus reges obtemperarent.* 95. *dimidium de regia poteſtate detraxit.* 95. 154. *criminum cognitionem delegat, præterquam læſæ maieſtatis.* 276. *eius perfidia.* 161.
Silentium in principis iniuria crimen eſt læſæ maieſtatis. 18.
Siculorum tyranni. 145.
Siccitas vnit, humiditas diſsipat. 289.
Silures vnde. 269.
Sol quò altior: eo tardior. 319. *oriẽs adoratur potius quàm occidens.* 328. *ius duplex motus.*
Somnium pellicis. 33.
σωρίτης *quid.* 282.
Spartanorum lex de regum ſucceßione. 176.
Spurius Scotiæ regnum occupat. 208.
Status cõtrouerſia legitimo principi nota per ſpurium. 50.
Stolidi & inſani paterno regno ſuccedunt. 175.
Stratonici cytharœdi verbũ. 19.
Sueuorum reges. 56.
Suffragia populi in eligendo rege pernicioſa. 167. *Numero, nõ pondere nituntur.* 211.
Suitatis ius furore non tollitur. 179.
Summum vnum eſt. 286.
Summa lux, ſummus calor quis. 288.
Summi imperij notæ. 116.
Superioris domini prædium inferiori non committitur propter feloniam. 273.
Suſanna eccleſiæ typus. 260.
Syllæ dictatura. 166.

T.

Taprobani reges morte multabãt. 300.

Tarquinii liberi per Seruium Tullium regno fraudati. 161.
Tarquinius Superbus. 145. *Ethruſcorum princeps, non rex.* 53. *ſenatum abolere decreuit.* 324.
Templi Salomonis ædificatio pacis & patientiæ ſymbolũ. 124
Terpander ab Ephoris multatus. 24.
Teſtamentum Henrici Angliæ regis. 73.
Teſtimonium fæminarum reiectum. 213.
Teſtamenti veteris exempla nobis non imitanda. 261.
Theodoricus Gotthorũ rex. 221.
Theodoſii ſenioris lex de 30. annorum præſcriptione. 170.
Theodoſius tẽplo excluſus. 260.
Thraſybulus. 189.
Tiberii Cæſaris inſtitutum. 114. *conſortes petit imperij.* 285.
Timondas & Pittacus ſuffragiis electi reges. 64.
Tiſſaphernis oratio apud Xenophontem. 248.
Titus Veſpaſianus. 114.
Tribus ſeu phylarchiæ Scotorum legibus inhibitæ. 183.
Traianus Conſul iurat in leges. 222. 302.
Tredecemuiri iudices in Scotia. 279.
Tribunal regum ſedes, 277.
Tuber gladio diuiſum. 43.
Turcarum imperia. 70.
Tullus Hoſtilius. 91. 154.
Tyrannis quale crimen. 39.
Tiranni deſcriptio. 45. *definitio.* 47. *quo differt à rege.* 45. *etymon.* 143. 146.
Tyrãni legitimi Buchanano. 132.
Tyrannorum an regum nomen antiquius. 144. *imperia cælitus ordinata* 232.
Tyrannus non eſt dei miniſter. 231.
Tyrãni duplex ſignificatio. 241.
Tyrannis obligati non ſumus. 242.
Tyrannorum in Scotia facta nefaria. 315.
Tyranni vocabulum inauditum in Gallia. 321.
Tyrannis nuſquam tuta. 317
Tyrannidas quaſdam probat Buchananus. 243.

V.

Vvardiarũ iura Scotis quæ. 267
Venceſlaus imperator. 56.
Venetorum reſpub. 55. *duces capite multati.* 55.
Venetorum ducum qualis condi-

tio. 133. quo differant à regibus. 133.
Vercingetorix Aruernorũ princeps. 54.
Victoria diuino iudicio victos humiliat. 132.
Vi patriam regere importunum eſt. 243.
Viduæ in eccleſia miniſterium quales ſeligendæ. 127.
Vim vi repellere. 168
Vindices ſceleris iidem qui & rei. 32.
Vindicta numini reſeruãda. 172
Vis ſemper abeſſe debet. 42.
Viriatus Luſitanus. 90.
Virginius in liberali cauſa filiæ ſuccubuit. 119
Viri præſtantes à populo multati. 97.
Vitem enecat luxuries. 319.
Vno crimine multæ virtutes obliuuntur. 42.
Vnione virtus augetur. 289.
Vnitas rerum cauſa. 289.
Vnius imperium publicorum malorum remedium. 167.
Vnum eſt ſummum. 285.
Vnus facilius mouet quam multi. 296.
Vnctio ſacerdotum & regũ. 15
Volenti non fit iniuria. 79. 262.
Vſucapionis cõmoda. 170. Platoni probata. 171.
Vulpes Aeſopica. 3.

X.

Xenocrates populum deſcribit variis epithetis. 305.
Xerxes ſpreti conſilij pœnas luit. 324.

Z.

Zaleuci Locrenſis lex. 24.

FINIS.

ANT 1318005

9334